MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., O. P. S. C. S. Officii — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — INDELICATO S., Off. S. C. Rituum — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — MAURO A., Add. Secr. Status — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C^i — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N, 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - *Sped. in Abb. Post.* - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - XII - 1952.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

Acta Pii PP. XII

Lex propria seu Constitutiones Confoederationis Congregationum Monasticarum ordinis Sancti Benedicti approbantur et confirmantur. (Adn. D. G. OESTERLE) . . . . . Pag. 547

S. C. Sancti Officii.

De proscriptione librorum ANDREAE GIDE. (Adn. M. CROVINI). . » 559
De monito in ephemerides et libros malos. (R. SPIAZZI) . . . » 561
Adnotationes ad Decretum de litteratura sexuali et de « amplexu reservato ». (H. M. HERING) . . . . . » 568

S. Congreg. Pro Ecclesia Orientali

Decretum - 10 Maii 1952. (Adn. AE. HERMAN) . . . . . » 583

IURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE

DETROITEN. *Nullitatis matrimonii* (Falow-Binzit). Sententia definitiva d. 19 Februarii 1952 c. R. P. D. AUGUSTO FIDECICCHI, Ponente. » 589
MATRITEN. *Separationis.* Sententia definitiva d. 28 mai 1952 c. R. P. D. PERICLE FELICI, Ponente . . . . . » 596
VERSALIEN. *Nullitatis matrimonii.* Sententia definitiva d. 17 iulii 1952. c. R. P. D. PERICLE FELICI, Ponente . . . . . » 599
Decretum in quaestione incidentali, d. 3 decem. 1949. (R. P. D. PETRUS MATTIOLI, Ponens.) . . . . . » 601
MATRITEN. *Separationis.* Sententia interlocutoria d. 22 iulii 1950, c. R. P. D. PERICLE FELICI, Ponente . . . . . » 609
Nullitatis Matrimonii (X-Z). *Praeliminaris de reiectione libelli.* Decretum diei 6 augusti 1952 (R. P. D. IOANNES M. PINNA, Ponens) » 611

STUDIA ET CONSULTATIONES

D. G. OESTERLE. Moderna animarum cura. . . . . » 617
L. BENDER. Subdelegatio potestatis assistendi matrimonio . . » 623
A. PUGLIESE. De sententiae nullitate sanabili ex defectu motivationis necnon et insanabili ex defectu accusationis. . . . » 626

JUS ECCLESIASTICUM

Italia

Miglioramenti economici al Clero congruato (*Circ. del Ministero dell' Interno, Direz. Gen. del Fondo per il Culto*). . . . » 655
Assicurazioni sociali dei dipendenti da istituti di istruzione e di educazione di Enti Ecclesiastici (*Circ. Ist. Naz. della Previd. Sociale*) . . . . . » 656
Criteri per il rilascio, durante l'anno 1952, dei nulla-osta per l'apertura delle sale cinematografiche (*Decr. del Pres. del Consiglio dei Ministri*) . . . . . » 658

GIURISPRUDENZA:

Cassazione civile, Sez. Un. 16/7/1951, n. 1976. Matrimonio - Trascrizione - Impugnativa. Tassatività dei casi dell'art. 12 - Infermità di mente . . . . . Pag. 658

Cassazione civile, Sez. Un. 8/3/1952. Matrimonio canonico celebrato in Italia tra italiani e trascritto - Moglie divenuta cittadina straniera - Sentenza straniera di divorzio - Inefficacia in Italia . . . . . » 659

Cassazione civile, Sez. I°, 29/3/1952, n. 872. Delibazione - Materia matrimoniale . . . . . » 659

Cassazione civile, Sez. II°, 29/2/1952, n. 576. - Chiesa di proprietà privata aperta al pubblico - Esercizio del culto - Dipendenza . . . . . » 660

Consiglio di giustizia amministrativa per la Regione Siciliana, 31/7/1950. - Confraternite - Ingerenza dell'Autorità civile - Limiti - Controversia . . . . . » 660

Tribunale di Piacenza, 16/1/1951. Vilipendio della Religione dello Stato. (Ann. F. SANTOSUOSSO) . . . . . » 660

Tribunale di Novara, 19/7/1951. Impugnativa della trascrizione nei registri dello Stato civile di un matrimonio. (Ann. F. SANTOSUOSSO) . . . . . » 661

Tribunale di Regio Emilia, 10/11/1951. Demanio e beni patrimoniali indisponibili. (Ann. F. SANTOSUOSSO) . . . . » 662

Gallia

La recente legislation française en matière d'enseignement libre. (J. T.) . . . . . » 666

RECENSIONES

ENCICLOPEDIA CATTOLICA (F. ROMITA) . . . . . » 671

P. ANGELO ZACCHI. *Dio - La negazione - L'affermazione*. (P. SPIAZZI). » 675

E. HOCEDEZ. *Histoire de la théologie au XIX° siècle: II: Epanouissement de la théologie*. (A. PIOLANTI) . . . . . » 676

A. PIOLANTI. *L'Eucaristia*. (I. P.). . . . . » 677

P. PALAZZINI. *Indissolubilità del matrimonio*. (I. P.) . . . . » 678

SACRAE ROMANAE ROTAE DECISIONES *seu sententiae quae prodierunt anno 1943, cura eiusdem S. Tribunalis editae*. (R. ROMANO) . » 679

D. STAFFA. *De conditione contra matrimonii substantiam*. (C. BERNARDINI) . . . . . » 686

S. C. DEI RELIGIOSI. *Atti e Documenti del Primo Convegno Internazionale delle Religiose Educatrici*. (A. PUGLIESE) . . . . » 688

S. C. DEI RELIGIOSI. *Acta et Documenta: Congressus Generalis de statibus perfectionis*. (A. PUGLIESE) . . . . . » 689

DOCUMENTA

Pii PP. XII. Insegnamenti ed Esortazioni sul concetto della legge morale . . . . . » 695

CHRONICA

Acta Pii PP. XII - Acta SS. Congregationum (A. MAURO) . » 701

Index Generalis Vol. LXXVII (1952) . . . . . » 711

Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTÆ SANCTÆ SEDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1952_77_4

ACTA PII PP. XII

LEX PROPRIA SEU CONSTITUTIONES CONFOEDERATIONIS CONGREGATIONUM MONASTICARUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI APPROBANTUR ET CONFIRMANTUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Pacis vinculum animorumque consensionem, ceteris praesidiis longe anteferenda, Monachi Benedictini, ex Christi Domini suique Auctoris disciplina, religiose servantes, rei christianae ipsorumque Ordini multum attulerunt decoris et incrementi. Quod praecipue evenit, postquam, datis die XII mensis Iulii, anno MDCCCXCIII, Litteris Apostolicis per Leonem PP. XIII, rec. mem., Decessorem Nostrum, plures sodalium societates in perpetuum foedus, legibus firmatum, coiere. Confitemur quoque ex communi studiorum sede quae, a Sancto Anselmo nuncupata, eiusdem Decessoris Nostri auctoritate in hac Urbe fuerat constituta, fructus perceptos esse amplissimos. Probatis vero primariis eius consociationis institutis, Sacra Congregatio nogotiis Episcoporum atque Regularium praeposita, Summi Pontificis, quem diximus, mandatum conficiens, iura et munera Abbatis Primatis, decreto die XVI mensis Septembris, eodem anno, lato, explicavit atque definivit. Ad hasce leges aliis postmodum eiusdem Sacri Consilii decretis, consultis conventuum Abbatum synodorumque Praesidum, tertio decimo sive septimo quoque anno coactorum, consuetudine Collegii Anselmiani usuque cotidiano Antistitis primoris plura addita sunt quae in rem fuerunt. Attamen nonnulla adhuc deficiebant aut erant huiusmodi ut in dubium vocarentur aliisve repugnarent; quapropter plures viri iique e prioribus annitebantur ut Foederationis institutum perficeretur, omnibus rite coagmentaretur partibus et ad nova accommodaretur tempora totiusque Ordinis utilitatem. Atque Nos, quarto decimo revoluto saeculo a Sancti Benedicti obitu, sive Litteris Encyclicis die XXI mensis Martii, anno MCMXLVII datis, sive sacro sermone die XVII mensis Septembris, eodem anno, in urbano Sancti Pauli Templo ad frequentem Abbatum coetum habito, consortionis

unitatisque momentum luculenter sumus persecuti: nostri enim ratio temporis, quo tam expedita effecta est inter homines communio, sacrorum munerum accumulatio ac doctrinae maior copia, in Ecclesiae administris desiderata, sodalium coniunctionem poscere videntur; quin ipsae Congregationes Benedictae, olim constitutae, argumento sunt ad vitae religiosae progressionem fratres cum fratribus operam sociare debere. Idcirco Sacra Congregatio Religiosis praeposita, perspectis iuris praesentis normis, Foederationis ratione atque commodo reputatisque iis quae haec tempora ferunt atque postulant, ita nova quaedam induxit et ad cetera composuit ut primaria consociationis praescripta eiusque quasi fundamenta etiam confirmarentur neve amplius in controversiam venirent. Curavit, quemadmodum par fuit, idem Sacrum Consilium ut leges illae, a viris peritis et consideratis in corpus redactae, indoli Regulae Sancti Benedicti verisque institutis monasticis congruerent quam maxime. Quo autem Nostra erga Sancti Benedicti familiam benevolentia magis eluceret eiusque sodales, conglutinatis Christi amore voluntatibus, integra vero uniuscuiusque Congregationis potestate suis legibus vivendi, satius valerent ad Ecclesiae emolumentum, precibus de Foederationis Constitutionum probatione Nobis submisse adhibitis libenti animo statuimus obsecundare. Quare, e Sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum *Legem propriam seu Constitutiones Confoederationis Congregationum Monasticarum Ordinis Sancti Benedicti*, iuxta exemplum quod in Tabulario eiusdem Sacri Consilii iussimus asservari et cuius initium « Praeclaris documentis » atque extrema sunt verba « Consilio administrativo extraordinario debet exponere », approbamus et confirmamus iisque Apostolicae sanctionis robur adicimus. Hisce simul Litteris et auctoritate Nostra abrogamus et abrogata esse declaramus ea omnia, ad Confoederationem pertinentia, quae huic Legi propriae forte adversantur. Contrariis quibusvis nihil ostantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex

nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXI mensis Martii, in sollemnitate Sancti Benedicti, anno MCMLII, Pontificatus Nostri quarto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Dño Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis
GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 520-522).

ADNOTATIONES

Romanus Pontifex primo alludit ad decorem et incrementum, quod O. S. B. percepit ex Litteris Apostolicis Leonis XIII. de 12. jul. 1893 *Summum semper* [1]. Quarum Litterarum summa haec est: Romanus Pontifex testatur, quod « summum semper » eum tenuit studium Ordinis incliti S. Benedicti et quod haud omisit pro re nata plura huius studii argumenta praebere, inter quae praecipue est depositio primi lapidis Collegii S. Anselmi in Aventino monte et convocatio in Urbem Abbatum Benedictinorum, quos atratos vocant. « Cuius conventus indicendi ea ratio fuit, ut collatis consiliis de iis rebus ageretur, quae ad communes pertinerent universi Ordinis rationes et utilitates, praesertim vero, ut fraterna fieret consociatio, quasi icto foedere, quae Familias omnes, quibus idem Ordo constat, nexu suavi caritatis mutuae contineret ». Fructus autem collatorum consiliorum fuerunt quinque capita, confirmata a Leone XIII.

I. Primum caput edicit: omnes Congregationes Benedictinorum, quos nigros vocant, veram fraternam Confoederationem ineunt, quae tamen Confoederatio nullam Congregationem alteri subicit. Ad hanc unitatem conservandam creatur Abbas Primas omnium Congregationum, qui Romae degat pro negotiis totius Ordinis bonum directe respicientibus, salvo regimine singularum Congregationum.

II. Abbas Primas assumendus ex universo corpore Congregationum.

---

[1] *Fontes C. J. C.* vol. III. n. 619 p. 402-404; *Acta Leonis XIII.* vol. XIII. p. 207-212. Breve Apost. datum fuit die 12. jul. (= secunda Dominica mensis jul.), quo celebratum fuit Patrocinium S. Benedicti; post reformationem Breviarii die 11. jul. celebratur Solemnitas S. P. N. Benedicti.

III. Abbas Primas rite constitutus est insimul Abbas Collegii S. Anselmi [2].

IV. Primatis Abbatis officium durat per duodennium; quo elapso iterum eligi poterit. Quem ad scopum singulis duodennis omnes Congregationum Praesides et omnes Abbates conveniant Romam. Pro valida electione duae tertiae partes votorum in electione suffragentur. Nominationem primi Abbatis Primatis Leo XIII. sibi reservavit [3].

V. Rector Collegii S. Anselmi nominatur ab Abbate Primate.

Mandatum Leonis XIII. confecit S. C. Ep. et Reg. per decr. 16 sept. 1893 *Inaestimabilis unitatis vinculo*; [4]. Quod decretum sequentia capita statuit:

I. Abbas Primas gaudet qua Abbas Collegii S. Anselmi iurisdictione ordinaria.

II. Abbates Praesides quolibet quinquennio relationem super statu cum morali tum materiali respectivae Congregationis transmittere tenentur ad Abbatem Primatem.

III. Abbas Primas componet dubia vel dissensiones in Congregatione monastica forsan oriundas.

IV. Necessitate urgenti Abbati Primati competit ius visitandi aliquam ex Benedictionis Congregationibus Confoederatis.

V. In casibus vere urgentibus, si agitur de quaestionibus, quae componi pacifice nequeunt neque dilationem patiuntur, ipse illico decernit.

VI. Tandem Abbas Primas invigilet et curet, ut in singulis congregationibus regularis disciplina servetur.

Cum autem ex una parte ad hasce leges plura addita sint, quae in rem fuerunt, ex altera autem parte nonnulla defecerint, aut in dubium vocata sint, ideo studium gravium virorum, ut Institutum Foederationis perficeretur, omnibus rite coagmentaretur partibus et ad nova accommodaretur tempora et totius Ordinis salutem. Quem laborem, arduuum sane in ordine legislationis monasticae, post serium et per annos continuatum studium praestitit S. C. Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, ita ut Ss.mus « legem propriam seu Constitutiones Confoederationis Congregationum monasticarum O. S.B. » approbare et confirmare potuerit.

---

[2] Nominatus fuit ad nutum S. Sedis D. Hildebrandus de Hemptinne, qui die 13. maii 1913. Coadjuiorem cum iure successionis recepit in D. Fideli de Stotzingen. D. Hildebrandus mortuus est Beuronae 13. aug. 1913.

[3] De conatibus pro uniendis Congregationibus monasticas saec. 19 factis, de Confoederatione omnium Congregationum sub Leone XIII confer: Raphael Molitor *O. S. B., Aus der Rechtsgeschichte benediktinischer Verbände*, vol. III., Münster i. Westf. 1933.

[4] *Fontes C. J. C.* vol. IV. n. 2022 p. 1058-1060.

S. C. de Religiosis in suo Decreto diei 21. mart. 1952 iustissime notat: ordinatio et regimen Confoederationis Benedictinae post diuturnam experientiam praeteritorum annorum complenda et perficienda erat ad hoc, ut fraterna unio omnium Congregationum salva autonomia uniuscuiusque efficaciorem vim ac uberiores fructus sortiretur. Ideo S. C., cooperantibus ipsis interesse habentibus, plurimum pro textu redigendo, respondenti spiritui, traditioni, et exigentibus Congregationum monasticarum in hodiernis adiunctis, adlaboravit.

Introductio ad legem propriam primo extollit summam benevolentiam Romani Pontificis in Ordinem S. Benedicti, ut inde maiorem in dies soliditatem maiusque decus et incrementum recipiat; deinde recenset fontes, e quibus elementa praesentis legis hausta sunt et studium S. Sedis accommodandi vitam monasticam cum iuri vigenti tum hodiernis necessitatibus et adiunctis, et ponendi pro futuro clarum et firmum fundamentum. Tandem insinuatur exclusiva obligatio praesentium Constitutionum, normis applicatis, quae in C. I. C. (c. 6) continentur.

Lex propria cum suis 144 legibus proponit materiam iuridicam in tribus Sectionibus.

Prima Sectio tractat de Confoederationis Congregationum monasticarum *ratione*, *constitutione*, et *fine*.

Titulus primus de Confoederationis *ratione* explicat in cap. I. originem huius Instituti, de qua satis supra; cap. sequens statuit officialem denominationem Confoederationis; ipsa est « Confoederatio Congregationum Monasticarum O. S. B. » vel « Confoederatio Benedictina ». Ut natura Confoederationis, de qua cap. III., plene et clare prospiciatur, nihil remanet nisi verbalis citatio art. 4-8.

4. - « Confoederatio est fraterna consociatio qua Congregationes Monasticae, omnes inter se pares, ad invicem autonomae et in propria sphaera supremae, quasi « icto foedere » a S. Sede confirmato, « nexu suavi caritatis » devinciuntur. Proinde Confoederatio firmas relinquit atque intactas Congregationes omnes cum « earum Constitutionibus ac Declarationibus, proprioque unicuique earum Archiabbate vel Abbate Generali necnon et Procuratore Generali ac Visitatoribus », pariterque firma sint iura et privilegia uniuscuiusque monasterii.

5. - Ex Confoederatione non oritur nova religio vel monastica Congregatio nec ea Ordinem singillatim constituit (can. 488, 2).

6. - Fraterna consociatio, quam Confoederatio secum fert, ut intimius ac fortius familias iungere valeat et efficacius suum finem consequatur, personae moralis collegialis figuram, ad normam C. I. C. (Cc. 99, 100) induit.

7. - Confoederatio sub moderamine ac directione Abbatis Primatis, Congressus Abbatum, Synodi Praesidum aliorumque institutorum ad normam et intra limites in his Constitutionibus definitos, de illis omnibus curam gerit, quae ad bonum Confoederationis commune pertinent et iura et bona propria (can .531) possidere ac vindicare potest.

8. - Effectus iuridici qui praeter vincula fraterna et moralia ex Confoederatione oriuntur praeterquam ex Codice ex his Constitutionibus peti debent ». Progressum evolutionis significat lex sexta quae Confoederationi attribuit « personae moralis collegialis figuram ».

Titulus II. respicit Confoederationis constitutionem.

Cap. I. respondet ad quaestionem: quaenam sunt membra *ordinaria* Confoederationis? Membra immediata sunt solae Congregationes monasticae, salva quadam exceptione; singula monasteria mediante Congregatione accensentur Confoederationi. *Novae* autem Congregationes monasticae legitime erectae fiunt ipso facto membra immediata et ordinaria Confoederationis, observata norma art. 11.

Gravissimum novumque elementum importat subsequens articulus statuendo: cum licentia S. Sedis et cum praevio Congressus Abbatum voto alii *Ordines* singulares sub regula S. B. militantes uti membra immediata Confoederationi adscribi possunt. Huc pertinent Camaldulenses Eremitae, Vallumbrosani, Silvestrini, Olivetani, Mechitaristae, tandem maximus ramus Benedictinus, sc. Sacer Ordo Cisterciensis. Singula monasteria mediante Congregatione monastica pertinent ad Confoederationem.

Caput II. disserit de membris *extraordinariis* Confoederationis et sunt singula monasteria nulli Congregationi unita. Ipsa aut sub tutela Abbatis Primatis ponuntur ex formali decreto S. Sedis aut ex voto Congressus Abbatum adscribuntur Confoederationi. Relate ad huiusmodi monasteria competunt Abbati Primati iura et officia Abbatis Praesidis Congregationis monasticae. Pius Pp. XI abbatiam S. Hieronymi de Urbe declaravit membrum immediatum Confoederationis, quin pertineat ad aliquam Congregationem.

Novum ius idque summi ponderis creavit Lex propria relate ad Moniales, Sorores, Oblatas regulares.

Iuvat claritatis causa textum cap. III. verbotenus allegare:

16. - *a*) Moniales, quae Regulam S. Benedicti profitentur, si alicui Congregationi Monasticae vel monasterio confoederato sunt incorporatae vel subiectae seu unitae, mediante illa Congregatione vel familia Confoederationi accensentur.

b) Illae moniales O. S. B., quae iurisdictioni Ordinarii loci subduntur, possunt Confoederationi aggregari, si sub tutela alicuius Abbatis vel monasterii spiritum monasticum Benedictinum

colere student et petitionem ad Abbatem Primatem fecerint (can. 492 1).

c) Foederationes monasteriorum Monialium O. S. B. quoad effectus harum Constitutionum incorporari possunt sive singulis Congregationibus monasticis sive ipsi Confoederationi.

d) Congressus Abbatum valet criteria et conditiones definire pro aggregatione ad ipsam Confoederationem admittenda.

e) De Sororibus et Oblatis Regularibus O. S.B. idem valet.

Iam S. Benedictus in cap. 63 suae Regulae *ordinem* in monasterio statuerat, ne grex abbati commissa conturbetur neve abbas quasi libera utens potestate iniuste disponat aliquid. Unde ad mentem S. Benedicti etiam Lex propria in cap. IV ordinem praecedentiae in Confoederatione constituit sequenti modo: Abbas Primas jure praecedentiae in Confoederatione ubique potitur; unica exceptio haec est: in ecclesiis, in quibus monachi Collegium cathedrale efformant, praecedit Abbas Nullius qua Ordinarius loci (cf. c. 215 2; c. 347); in suo territorio enim Abbas Nullius praecedit omnibus archiepiscopis et episcopis, exceptis Cardinalibus, Legatis Pontificiis et proprio Metropolita [5]. Praecedentia Abbatis Nullius in suo territorio iam in Congressu a. 1925 disceptata fuit; praecedentia in Concilio Oecumenico regitur c. 223 § 1, n. 3. 4. In conventu Confoederationis Abbatem Primatem sequuntur Abbas Montis Casini, Abbates Episcopi, Ex-Abbates Primates, Abbates Praesides Congregationum, Abbates Nullius, deinde alii Abbates monasteriorum sui iuris juxta tempus electionis in dignitatem abbatialem. Archicoenobium Cassinense est enim omnium monasteriorum O. S. B. caput, eiusque abbas perpetuam in Congressu abbatum praecedentiam et primam vocem habet [6]. Duo nova elementa praesens art. 18. conti-

---

[5] Sub ratione *historica* sequens factum commemorandum videtur. A. 1916 sedes episcopalis Neoporten. *(Newport* in Anglia) translata fuit in urbem *Cardiff*. Quae sedes, erecta in metropolim, duobus capitulis cathedralibus gavisa est, uno saeculari in civitate *Cardiff*, altero monastico O. S. B. in loco *Belmont* prope *Hereford*, propter merita O. S. B. in Anglia, praeprimis in Neoporten. diocesi; unde novus archiep. Cardiffen. duo capitula habuit, saeculare et monasticum, necnon duas ecclesias cathedrales. Prior *cathedralis* O. S. B. in loco *Belmont* gavisus est iure Pontificalium. (*A. A. S.* vol. 8 p. 257.); Congregatio Anglica O. S. B. renuntiavit privilegio ecclesiae cathedralis necnon Capituli cathedralis: ideo Bend. XV. monasterium Belmontense erexit in veram, propriam, independentem abbatiam. Noscendo summa merita O. S. B. in Anglia et recogitando renuntiationem dignitatis Cathedralis Bened. XV. declaravit « Apostolicam Sedem tot Benedictini Ordinis promeritorum nunquam obliturum atque in tot beneficiorum memoriam libenter curaturam, ne umquam desit inter Angliae Praesules unus ex S. Benedicti alumnis, qui aliquam regendam suscipiat diocesim ». *(A. A. S.* vol. 12 p. 265. diei 21. martii 1920).

[6] Zucharias in C. *Omnipotenti*, 18. febr. 742 n. 7. (alii: 741) Callistus ii C. *Omnipotenti*, 16 sept. 1123; Innoc. iii. C. *Omnipotenti*, 25 jul. 1208. (cf. Marga-

net: primo adiudicatur Ex-Abbatibus Primatibus proprius locus post Abbates Episcopos; altera novitas haec est: saepius ventilata est quaestio, quinam locus competat Abbati Praesidi Congregationis monasticae. Hucusque Abbates Nullius, etsi non Episcopi, praecedentiam ante Abbates Praesides occuparunt. Ratio sine dubio haec fuit: abbates Nullius sunt Ordinarii locorum et vi can. 215 § 2. Episcopis aequiparantur. Contra hanc mentem militavit in Lege propria aliud elementum sub ratione juris decisivum. Congressui Abbatum adsunt Abbates Nullius non qua Abbates Nullius, sed unice qua Abbates regiminis, stantes sub Praeside Congregationis. (can. 106 n. 2). Ordo praecedentiae inter ipsas Congregationes petitur ex antiquitate erectionis vel recognitione (cf. *Annuario Pontificio*, v. *Monaci-Benedettini Confederati*).

Tandem cap. V. statuit: vinculum adscriptionis ad Confoederationem quoad permanentiam et quoad vim et potestatem S. Sedi reservatur.

Titulus tertius agit de Confoederationis *fine*, qui ex fraterna omnium Congregationum unione et collaboratione traditionem benedictinam fideliter servandam et hodiernis vitae adiunctis accomodandam intendit. Lex propria tria media ad finem obtinendum proponit: repraesentationem Ordinis apud S. Sedem per Abbatem Primatem, educationem monasticam et instructionem academicam in Collegio S. Anselmi, mutuum tandem adiutorium.

Sectio secunda de Confoederationis regimine constituit partem principalem totius Legis propriae, quae duplex regimen respicit: sc. collegiale per Congressum Abbatum, et primatiale per Abbatem Primatem cum suo Consilio.

Titulus primus agit de regimine collegiali per Congressum Abbatum.

Lex 24 optime notat: ratio Congressus non est Capitulum Generale sibi vindicans potestatem ferendi leges contra autonomiam Congregationum et monasteriorum, sed providens bono Confoederationis qua talis. Congressui duplex officium competit, sc. electio Abbatis Primatis et tractatus negotiorum ab Abbate Primate cum suo Consilio proponendorum. Archiabbas S. Montis Pannoniae (Pannonhalma) in Congressu a. 1925 censuit Congressui denegandam potestatem legislativam et consequenter denegandam obligatio-

---

RINI, *Bullarium Cassinen.* vol. I. p. 3; p. 13 ad 3; p. 28 ad 3;) HONOR. III. C. *Omnipotenti* 12. aug. 1216 *(Bull. Rom.* tom. III. p. 176.). IUL. II. C. *Super cathedram* 22. nov. 1504. Circa datam huius Const. regnat magna confusio: *Bull. Cass.* habet 1. dec. 1504 (1. c. p. 199; confusio ex eo orta, quod posuit « decimo » ad a. 1504; « decimo » referendum ad « Kalendas dec.=22 nov. 1504; CHERUBINI: 22. XI. 1503. *Bull. Rom.* III, p. 260=22 nov. 1503. Numeratio a die electionis aut coronationis?

nem monachorum oboediendi deliberatis in Synodo abbatum. Lex propria in lege 26. hac de disputata quaestione claram norman posuit, statuendo: « Ad normam Brevis *Summum semper* resolutiones Congressus omnes Confoederatos obligant tantum, si ex Congressus iudicio negotia tangunt totam Confoederationem vel Collegium Anselmianum et obligatoriae declaratae sunt ex duabus tertiis suffragiorum partibus ».

Congressus electivus celebrandus est quolibet duodennio; non electivus ad tractanda negotia sexto quoque anno post Congressum electivum terminatum [7].

Vocem activam sive quoad electiones sive quoad negotia tractanda habent:

a) Abbas Primas;

b) Abbates Praesides Congregationum;

c) Abbates regiminis monasteriorum;

d) Abbates Coadiutores, quibus plenum regimen devolutum est;

e) Priores conventuales;

f) Procuratores monasteriorum sui iuris viduatorum a Capitulo Conventuali legitime designati.

In Congressu anni 1947 deliberatum fuit, utrum etiam Priores conventuales admittendi sint ad Congressum. Lex propria iuste dictos Priores vocavit; sunt Superiores Maiores regiminis, gaudentes eodem iurisdictionis gradu ac Abbates regiminis [8]. Membra Congressus legitime impedita possunt sibi constituere procuratorem cum mandato generali; sed procurator solum duorum membrorum vice fungi potest. Voce *passiva* gaudent, nisi sint legitime impediti, omnes monachi sacerdotes sollemniter professi Congregationum Confoederatarum O. S. B., qui ceterum habeant qualitates a iure communi requisitas (can. 504). Ius convocandi Congressum abbatum spectat pro eligendo Abbate Primate ad ipsum; sede vacante aut impedita ad Vicarium Abbatis Primatis; pro solis negotiis ad Abbatem Primatem. Aliae normae pro convocando et praeparando Congressu convenienter omittuntur.

Circa Congressus celebrationem Lex propria statuendum censuit: Congressus sollemniter aperitur celebratione Missae de Spiritu

---

[7] *S. C. Ep. et Reg.* 2 dec. 1906 Abbati Primati concesserat, ut sexto quoque anno non solum singulis duodenniis Praesides convocare possit, qui collatis consiliis, quidquid in bonum Ordinis et Collegii Anselmiani vertere possit, *statuant atque decernant. (Annales O. S. B.*, 1893-1908 p. 57).

[8] De abbatibus coadiutoribus cf. *S. C. de Rel.* 7 febr. 1927 art. II. n. 1 (1. c. 1927. p. 16-17). Quaestio disputata, utrum Rector Collegii gaudeat voto in Congressu, fuit decisa in sensu negativo: eo minus admissi sunt professores et officiales Collegii, prout quidam abbas desideravit, ad deliberationem et electionem.

Sancto tamquam pro re gravi. Deliberationibus, quibus praesidet Abbas Primas, peractis, cessat munus Abbatis Primatis, qui relicto praesidentiae loco inter Praesides Congregationum primus sedet et pro electione subsequenti voce activa et passiva gaudet. Ius praesidendi electioni Abbatis Primatis pertinet semper, ob reverentiam S. P. Benedicti, Abbati de regimine Montis Casini, et quotiescumque ipse impeditus sit, Abbati de regimine Sublacensi, successive vero Abbati inter Praesides Congregationum aetate seniori. Deficiente Abbate Primate eligitur Congressus Praeses pro negotiorum deliberatione, quando haec electionem Abbatis Primatis praecedit; insuper in prima Sessione eliguntur tres Secretarii. Relationes exhibendae sunt: 1° de negotiis maioris momenti, quae ad Confoederationem pertinent; 2° circa studia, disciplinam et administrationem Collegii S. Anselmi; 3° de rebus quae actae sunt a Commissionibus.

A solemnitatibus electionis allegandis abstinere possumus; sed non est praetereunda lex 51 statuens: « Electus ille est, cui in primis tribus scrutiniis duae ex tribus suffragiorum partibus favent, uno addito voto. Si vero nulli favet pars votorum requisita, Praeses declarat non peractam esse electionem et iubet scrutinium immediate vel suo tempore esse iterandum. Post inefficax tertium scrutinium fit quartum, in quo vocem passivam, non vero activam, habent illi duo candidati tantum, qui in tertio scrutinio relative maiorem suffragiorum partem retulerunt. In paritate suffragiorum ille vel illi candidati ad vocem passivam praecedunt, qui professione prima vel aetate seniores sunt. In hoc quarto scrutinio maioritas absoluta votorum sufficit (can. 101 § 1, 1°). In casu paritatis votorum eadem norma ac supra viget ». Abbas Primas acceptata electione statim plenum ius in officium Abbatis Primatis obtinet, quin ulla confirmatione indigeat.

De negotiis in Congressu discutiendis, etiam mediantibus Commissionibus necnon de Congressus absolutione, Actorum subscriptione ac promulgatione nihil speciale dicendum est.

Caput secundum tit. I. Sectionis secundae disponit de Synodis Praesidum. Lex 65 statuit: « Synodus Praesidum eo fine convocatur, ut collatis consiliis negotia ad totam Confoederationem spectantia discutiantur et Congressui Abbatum pro natura rei decidenda proponantur et negotia, quae urgent, praevie diiudicentur usque ad decisionem proximi Congressus.

Synodi praeterea est exsecutionem illarum rerum, quae a S. Sede vel in Congressu Abbatum praescriptae sunt, prout opus fuerit, urgere; informationes certas de statu Confoederationis colligere, ut maiori eius bono provideri possit; denique relationem Abbatis Primatis de statu Collegii S. Anselmi de Urbe excipere ». Synodi membra sunt: Abbas Primas cum suis Consiliariis et Praesides Congre-

gationum. Insuper Abbas Primas Assessores vocare poterit, qui doctrina vel experientia deliberationibus magnum iuvamen praestare possunt; tandem vocatur Secretarius. Synodus Praesidum singulis trienniis Romae aut alio in loco celebranda erit.

Titulus secundus respicit regimen primatiale, quod est aut ordinarium aut extraordinarium; ordinarium considerat Abbatem Primatem sub ratione munerum et iurium et quidem primo qua Abbatem S. Anselmi, cuius supremum regimen tenet cum iuribus et officiis, quae abbatibus in suos subditos competunt. Porro durante munere est Magnus Cancellarius Pontificii Athenaei Anselmiani. Uti Praeses Confoederationis est Superior maior (can. 488 n. 8), et curam gerere debet de bono Confoederationis promovendo necnon gaudet iure delegato transferendi monachos ab una ad alteram Congregationem. Tandem Procuratores generales de negotiis gravioribus Abbatem Primatem informent oportet. Uti repraesentans Confoederationem vices eiusdem agit apud S. Sedem aliasque societates et tenetur ad relationem quinquennalem. Leges 85-99 determinant privilegia Abbatis Primatis qua Abbatis S. Anselmi et qua capitis Confoederationis.

Prima vice Lex propria statuit claras normas condicione monastica Abbatis Primatis, statuendo: Abbas Primas stabilitatem monasticam, quam in professionis suae monasterio habebat, integram conservat. Expleto munere, suspensio stabilitatis cessat; porro habitus monasterii formam, quae suae Congregationi propria est, durante munere primatiali conservare potest. Tandem providetur bonis acquirendis et sustentationi post resignationem; ipsa cessio ab officio durante munere reservatur Romano Pontifici. Postquam provisum est regimini intermedio, est sermo de Consilio Abbatis Primatis. Confoederationis ipsius Consilium est: Synodus Praesidum, quolibet triennio ad normam n. 69 ss. convocata.

Consilium Primatiale constituunt quattuor Abbates, quos Congressus ex elencho octo Abbatum, ab Abbate Primate posito, quin tamen alii vocem passivam amittant, ad proximum duodennium eligit. Abbatem primatem, qua Praesidem Confoederationis, absentem vel impeditum supplet Vicarius ab ipso Abbate Primate ex membris Consilii Primatialis designandus.

Rector Magnificus Athenaei Anselmiani, qui simul munere Rectoris Collegii fungitur, ab Abbate Primate audito Consilio Primatiali nominatur et S. C. de Seminariis confirmandus proponitur. Accedunt alia officia.

Regimen extraordinarium complectitur visitationem canonicam Confoederationis ab Abbate Primate sub certis condicionibus peragendam. Ultimo Lex propria loquitur de quaestionibus et recursibus Abbati Primati subiciendis.

Sectio tertia agit de Collegio internationali S. Anselmi de Urbe. Primo est sermo de origine Collegii, fundati ab Innoc. XI. die 22. mart. 1687 et post temporum iniuriam restaurati a. 1886 a Leone XIII cum facultate conferendi gradus academicos in tribus Facultatibus. Deinde nectitur sermo de Collegii regimine et ordinatione. In regendo et administrando Collegio triplex statuitur Consilium: Consilium Academicum pro rebus Athenaei, quod normis regitur in Statutis Pontificii Instituti Academici delineatis; Consilium disciplinare, pro conservanda et promovenda in Collegio regulari observantia. Membra huius Consilii sunt: Rector, Vice-Rector, Magister alumnorum et Instructor Conversorum. Consilium administrativum pro re temporali gerenda, quod dividitur in ordinarium et extraordinarium. Consilium ordinarium constituitur ex Collegii Rectore, Vice-Rectore, Cellerario et Primo Secretario; Consilium extraordinarium componitur ex duobus membris Consilii Primatialis. Competentia utriusque Consilii administrativi in Statutis Collegii circumscribitur. Lex propria concludit cum normis de rebus oeconomicis Collegii.

Si teste Pio Pp. XII Breve Leonis XIII « *Summum semper* » de 12. jul. 1893 « Pacis vinculum animorumque consensiones, ceteris praesidiis longe anteferenda, Monachi Benedictini, ex Christi Domini suique Auctoris disciplina, religiose servantes, rei christianae ipsorumque Ordini multum attulerunt decoris et incrementi », Lex propria sine ullo dubio conferet ad id, ut Ordinis S. Benedicti alumni evadant aemuli industriae maiorum suorum in utraque laude vitae sanctimoniae omnisque humanitatis cultus, ita ut proinde ille floreat atque ea floruit aetate, qua summum attigit solidae gloriae festigium [9].

D. G. Oesterle O. S. B.

---

[9] Cf. Breve *Summum semper*.

DE PROSCRIPTIONE LIBRORUM ANDREAE GIDE (1)

(Cfr. *Monitor Ecclesiasticus*, vol. 77 (1952), p. 393)

ADNOTATIONES

Andreas Gide, qui Parisiis natus anno 1869 ac die 19 februarii 1951 defuctus est, haud dubie ubique celeberrimus est, etiam ob ingenii insuetas qualitates et ob elegantiam atque efficaciam sermonis.

Attamen, proh dolor, illae qualitates cum necessariis virtutibus moralibus non coniungebantur! Immo vero in libris Andreae Gide insidiosissimum venenum invenitur, quod animis omnium, praesertim iuvenum, infert ingens damnum.

Etenim, in omnibus fere operibus celebris auctoris plura scripta sunt quae rectam conscientiam moralem graviter offendunt.

In discrimine inter bonum et malum, Gide plerumque stat pro mali causa. Praeterea notum est eum in plurimis eius libris, praesertim vero in quibusdam, ut in *Corydon*, in *Si le grain se meurt* et in suo Commentario, v. d., *Journal*, turpitudinem sodomiticam aperte defendere, quo vitio ipse quoque, ut notissimum est, afficiebatur.

---

1 *En elenchus operum Andreae Gide:*

Cahiers d'André Walter (a. 1891); *Le Traité du Narcisse* (a. 1891); *Le voyage d'Urien* (a. 1893); *Tentative amoureuse* (a. 1893); *Palude* (a. 1895; *Nourritures terrestre* (a. 1897); *Le Prométhée mal enchaîné* (a. 1899), *El Hadj ou Le Traité du faux prophète* (a. 1899); *Philoctète ou Le Traité des trois morales* (a. 1899; *Lettres à Angèle* (pubblici iuris factus a. 1900, sed antea scriptus); *Le Roy Candaule* (a. 1901; *L'Immoraliste* (a. 1902); *Prétextes* (a. 1903); *Mopsus;* = *Amyntas;* = *Feuilles de route;* = *De Biskra à Touggourt; Le renoncement au voyage.* (quinque libri uno volumine edita a. 1906) *La porte étroite* (a. 1909); *Le retour de l'enfant prodigue* (a. 1909; at iam a. 1907 scriptus); *Béthsabé* (a. 1912; iam a. 1903 scriptus; *Jsabelle* (a. 1912); *Le caves du Vatican* (a. 1914); *La symphonie pastorale* (a. 1919); *Antonio et Cleopatra* (a. 1920); *Saul* (a. 1922); *Corydon* (definitive editus a. 1924); *Incidences* (definitive editus a. 1924; a. 1921 editus est cum titulo « Billets à Angèle » in « Nouvelle Revue Française »; *Les faux-monnayeurs* (a. 1925); *Si le grain se meurt* (definitive editus 1926); *Nunquid es tu?* (definitive editus a. 1926; a. 1916-17 publice iuris factus fuerat cum tituli « *Cahiert vert* »); *Voyage au Congo* (a. 1927; *Le retour de Tchad* (a. 1928; cum appendice: *La detresse de notre Afrique Equatoriale* »; quod opus iam publici iuris factus fuerat, a. 1927, in *Revue de Paris*); *L'ecole des femmes* (a. 1930); *Ajax* (a. 1933); *Retour de l'U. R. S. S.* (1936); *Journal* prima ed. a. 1939).

Quod autem ad religionem attinet, Andream Gide possumus appellare amicum-inimicum vel domesticum hostem. Perpulchre enim in folio diurno « *L'Osservatore Romano* » (die 1 iunii 1952, p. 2) legebatur: « ... Ha inventato lui la maniera di negare Cristo, valendosi di scelte parole del Vangelo, magari citate in latino e a maniera di motivo musicale; e assaltare la Chiesa, rimanendo in sagrestia o nel presbiterio ».

In nonnullis scriptis Gide Deum negavit et Christum eiusque Ecclesiam blasphemavit. Sufficit haec exempla proferre: « Le lent progès du catholicisme sur son âme; il me semble assister à la marche d'une gangrène » (Gide hic loquitur in *Journal* de uxore, quae ad religionem catholicam conversa erat);... « Le Christ, en croyant et en faisant croire qu'il avait partie liée avec Dieu, se trompait et nous trompait... » (in libro *Feuillets;* at sententiae eiusdem generis in aliis libris proferuntur).

Etsi scriptor catholicus Paulus Claudel conatus est eum ad veram religionem revocare, Gide firmus in suo atheismo ac in mente sua, principiis ac praxi sanae moralis contraria, mortuus est.

Anno 1947 praemium, qui dicitur *Nobel*, ei tributum est, ob in litteris praeclara merita.

Qui, vero, eius scripta legit ac eius vitam novit, ad hanc conclusionem compellitur, ipsius veribis utens: « Tu avais l'air d'un criminel ou d'un fou! » (ex quibusdam scriptis postumis).

Iure, igitur, Suprema Ecclesiae auctoritas, etiam ad fideles monendos, quos forte admiratio celeberrimi auctoris a recta via avertere posset, Decreto S. Officii, diei 24 maii 1952, *Opera omnia* [3] Andreae Gide damnavit.

Sac. Marius Crovini

---

[3] Quoad criterium, quo interpretanda sunt verba « *opera omnia* », remittitur ad *Praenotanda* in Editionem anni 1948 *Indicis Librorum Prohibitorum.*

DE MONITO IN EPHEMERIDES ET LIBROS MALOS

Nihil rectius atque opportunius quam praecepta monitaque quibus Sancti Officii Patres Eminentissimi omnes fideles in universum, et aliquos quorum peculiariter maxime intersit, allocuti sunt, occasione data Alberti Moravia operum damnationis recenter prolatae (Cfr. *Monitor Ecclesiasticus*, vol. 77 (1952) pag. 388).

Haec diu multumque a fidelibus toto animo cogitanda sunt, in primis ab iis quibus officium incumbit animarum formationem ac salutem procurandi. Gravi damno omnibus erit si monita, aliis instantibus curis, prolabentur tamquam si unquam edita fuerint. Litterarum enim nostrae aetatis provinciam vix conspicienti, illico apparet quantum periculum praesertim fabulae amatoriae et commenticiae fidelium animabus afferant. Ut de solis commenticiis fabulis, vel eiusmodi libris editis, loquamur, res nobis, per se ipsam, hoc modo describi posse videtur:

A) Recta quae in modernis fabulis notari possunt, haec praecipue sunt:

1) Apud multos et claros scriptores absentia notatur sexui obsequentiae, tamquam finis illis proprii; aliquot facta ad thesim determinatam probandam, aut pro vero, disposite describuntur, et aliquando pro officio censorio et obiurgatorio, sicut auctores profitentur.

2) Praesentia rerum ad religionem et spiritum pertinentium, quas saepe homines male interpretantur, at tamen recentiorum hominum inquisitiones et angorem significantes, quae longe plurimum, ut nos aestimamus, quam assensus obtusus valent.

3) Disceptatio psychologicarum quaestionum, spiritualium, societatis; quae disceptatio efficit ut fabula, non rerum plus minusve inanium descriptio sit, sed earum explicationi adiumentum (saltem optatum etiamsi scriptores illud non adipiscantur).

4) Editio fabularum, item extra scriptorum stricte « catholicorum » circulos, in quibus aliquid ad notionem rerum pertinens sincere christianum invenitur, quamquam non semper postulatis quae satis firme concepta animo comprehensaque habemus e praeceptis ethicae atque e sacra doctrina, convenit.

Catholici auctoribus ad hoc animo et cogitatione conversis impedimento non sunt neque obstant quominus in intelligentiam cadant, tamen reservatis reservandis ad rem legendam. Res procul dubio laudanda si auctores id genus foveamus ut ad suam summam vim dicendi atque animi perveniant.

B) Haec, quae sequuntur, notantur elementa « negativa »:

1) Abusus iterum ac saepius auctus obscenarum descriptionum, quae sexus facta praebent (sed etiam aliarum animi perturbationum) acri veritatis rapraesentatione obstentationeque naturae, saepe usque ad sordida verba. Quamquam aliquando obscenitas non describitur, dico pervestigationem et exhibitionem obscenitatis per se ipsam pro sexus voluptate, tamen paginae libidinose, saepius extra hominum verecundiam scriptae, frequentes inveniuntur.

Personae abnormes, corruptae, dementes, vitio grandi sexus praeditae, quae obscenitate saepe nobis taedio sunt, exhibentur.

Hi auctores potissimum, ut nobis videtur, nihil aliud faciunt nisi de rebus depravatis agunt, et nihil aliud in vita intelligunt nisi morum corruptelam depravationemque, et efficiunt ut amor ad perniciosissimam libidinem perturbantem et morbosam corrumpatur.

Hoc gravissimum est cum auctores triviali sermone utuntur, qui aliis est fastidio et, contra, aliis, qui deflexionibus morum, praesenti tempore crebris, afficiuntur, ad ulteriorem depravationem est incitamento. Cum sexus factis saepius aliae depravationes describuntur, quae ad negotia, impetus, crapulas, ebrietatem, dominandi cupiditatem attinent et ad cetera eiusdem generis. Inter omnes praesertim quidam fabularum scriptores Americani excellunt ut Cain, Steinbeck, Hemingway, Faulkner, Caldwell (de quo dictum est ipsum in suis fabulis personas corruptas omnes effinxisse!)...

Hoc non modo est gravissimum et terribile periculum quod animabus provenit, sed etiam significatio gravis status morum - vel depravationis vel, ut verius dicam, absentiae morum - multarum et forsan omnium regionum. Quid plura dicam de Angelico Lawrence, qui omnia iura divina et humana pervertit, apud quem saepissime libido omnino sacrilegium fit?

Si cogitamus ex his fabulis persaepe argumentum ad cinematographica spectacula derivari, intelligimus quam multo gravius periculum fiat. Quo magis cavendum est ne quid in eo genere peccetur.

Ad id accedit quod, in mercaturis librariis, multiplicata sunt opera de sexu et communiter de sexus rebus, consuetis et abnormibus, oratione facili et leni omnibus ad intelligendum. Quod haec scripta multiplicantur, prospere procedere videntur. Praeter aliqua ad doctrinam pertinentia, reliqua dici possunt ad obscenitates fictae scientiae pertinere: de hoc argumento etiam scripta certo tempore recurrentia (ephemerides) multiplicantur. Ad hoc libelli adiungantur qui, ut fieri solet, de argumentis ad sexum pertinentibus vel ad amorem disserunt, falsam sententiam de his adhibentes et animae vim minuentes. In occulto quoque non iacet libellos et imagines

clandestinas deterioris protervitatis, e nationibus exteris invecta vel in Italia edita, circumferri. Qui cupiunt aliquo modo a tabernulis diurnorum ea accipere possunt. Id nos sollicitat quod publicorum morum proterviae signum est et fons abiectionis.

2) Alia « negativa » in litteris, quorum exemplar fabulis inest, morum falsae comprehensiones sunt, tacitae vel manifesto significatae.

In primis opinio omnino inhonesta de animi passionibus, ut cupiditatibus, praecipue sexus, permittatur ire quo velint. Praeterea notio moralis vitae universae abest et contra proclivitas ad rationem tollendam singulorum et ad omnia redigenda naturali sensui adest. Apud aliquos tota de omnibus ethicis invenitur desperatio, quam sine dubio nostra aetas genuit, ita ut ratio et discrimen boni a malo in magno libidinum pondere ponatur, qua re utilitas atque voluptas norma pro vita existimantur et virtus et vitium paria inter sese, saltem quoad principium interius quod ad agentem hominem attinet.

Et res autem apparet et eminet quam « phisiologismum » appellamus, quod hominum acta phisiologice considerantur neque auctores animo legem morum contemplantur, quae norma humana et divina non esse videtur.

Praesertim vulgaris sententia amoris depravati offertur: ab Hemingway et a Lawrence pessima narrantur et ita in eorum operibus homo viget animalis et sexu simillimus.

3) Quaestio igitur de culpa et de malo non recte proponitur et pessime expeditur, non sine aliqua vi pestifera mali providae falsae Novatorum religionis. Non intelligitur quid sit malum neque quid vere peccatum, eo deductum ut usus vitae maximus habeatur atque ditissimus, vel ipse naturae motus extra morum doctrinam. Adde etiam fati iudicium in quo culpae, res abnormes, obsessiones positae sunt. Personae in umbra arcana damnationis trepidant, tamquam servi iis rebus, quas agunt, unquam libertatem appetentes.

4) Multi autem et sunt et fuerunt qui eas, quas dico, res divinas profanant, Freud moderatore et auctore, quandoque spurce, turpiter et impie ut Lawrence, qui ad tantam audaciam processit ut etiam quaedam verba Christi sub voce phallica subiceret. Haec extrema non audentes, non desunt qui utantur verbis impiis adversus Christum, Ecclesiam, dogmata, res divinas, ut quae apud Malaparte (in libro cui titulus « Kaputt » est inditus et in alio qui « La pelle » inscribitur) leguntur.

Omnia, etiam vita mystica, e Freud sententia et secundum sexum, explicantur. Nonnulli auctores, pessimo cum iudicio, Christi nomine in fabularum titulis vel cinematographicis spectaculis, quibus, quaedam species Eius mandati applicationis vel negationis il-

lustrabatur, sed unquam ita ut tam sacri Nominis usus probaretur, abusi sunt. Praeterea in fabulis praecipuum proferendi sacerdotis in lucem saepe dubiam studium animadvertitur, seu unice declaratur quod in animo eius humani sit, praesertim vitia seu mala ei tribuuntur, quae quamvis interdum vera sint, inclementer non declaranda sunt, ne sacerdos magis magisque ab aestimatione et hominum auctoritate absit. Sunt autem, ut verum dicam, fabulae et cinematographica spectacula in quibus sacerdotum personae eminent, ut apud Cronin, sed perpauca. Ecclesiae non comprehenditur mandatum, et Ei aliquando falsum crimen infertur; utcumque res erit, Ea recusatur perinde ac si fons veritatis et morum non sit, et austera iudicatur cursum vitae cogere, et igitur res superata, non nunquam vetans.

5) Quidam autem scriptores, psychologiae et psycanaliticae scientiae insano amore ducti, nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles indolis conferunt easdemque non necessarias, maxime amoris obsessionum, quas exemplaria potissimum ad hoc ficta concipiunt. Quorum ab adulescentia auctus describitur cum opinionum errorumque commentis inhibentibus et timiditate vitiosa, quae vel ab angore psychico vel morali constrictione provenit.

Pleraeque Moraviae personae, et quae primas agit apud Floram Volpini (« La Fiorentina ») ita se ostendunt. Voluptas ex exploratione et vi intelligendae rei psychologicae, secundum Freud doctrinam et eorum qui eius praecepta sequuntur, valet, ita ut naturae appetitus, psycanalitica scientia exacerbatus, ostendatur; quare psychologiae scientia omnia vitae latius explicantur ita ut vita a sexus haud conscia ratione deducatur.

6) Legimus plerumque apud istiusmodi auctores veritatis deformationem, quam veritatem in deterius redigunt; quam ob rem persaepe « fabulam de malo » habemus et unquam « fabulam de bono », vel saltem (ne artificiose procedamus) « fabulam de humana natura », in qua homines malum cognoscunt neque bonum ignorant, qui potius natura ad bonum adipiscendum ardent, quod saepe praevalet. Verum vitae factis et fabularum personis aptare non possumus: nobis desperandum si ita esset! Forte homines dissimiles sunt et alio modo agunt. Auctores ex societate foeda suas personas conquirunt, et hodie, ut supra diximus, ex abnormibus et corruptis hominibus, sed contra est populus qui animo atque corpore viget, dissimillimam vitam explicans. In fabulis, de quibus locuti sumus, ita commercium et familia ostenditur ut re perterreamur; sed scimus hoc non omnibus esse; idem de reliqua vita. Igitur verum deformare, gravitatem factis pathologicis et pessimis unice addere, efficere ut vera putentur quae experiendo didicissent, nefa-

rium est factu. Hoc vitandum est, ne falsa pro cognitis habeamus iisque temere adsentiamur.

Adde usum fabularum vel librorum, quos de sua vita scripserunt. Reperiuntur ii (ex quorum numero Flora Volpini libro qui « La fiorentina » inscribitur) quos ostendere vitam domesticam cum suis pessimis experientiis turpitudinibusque, saepe verbis durissimis expressis, non pudet. Non necesse, mea sententia, huiusmodi agendi turpitudinem notare.

Adiiciendae autem sunt fabulae eo animo scriptae ut de societatis hominum tutela agant, in quibus vitae commercium ac societatis explicetur, secundum Caroli Marxii doctrinam, praesertim ad hoc quod ad partitionem et ordinum contentionem pertineat. Haec opposita usque ad furorem ostenduntur. Omnes haec fabulae perniciosissimae sunt (ad hunc modum etiam spectacula cinematographica) in omnes partes, societatis vel religionis, quod athea ratione scribuntur.

7) Postremo notandum est, apud auctores, saepe claras descriptiones et subtilem depravationum explicationem psychologicarum id spectare ut morum praecepta tradant. Sunt qui hominum huiusce temporis mores corrigere et castigare velint, tabes eorum atque vitia exprimendo et effingendo verbis. At errant quod putant turpium rerum descriptionem malorum societatis remedium esse. Etiam exceptis falsis eiusmodi opinionibus, oportet dicere quasdam mali descriptiones difficile afferre remedium moribus posse, maxime si hominum naturam consideramus, quae, ut ipsis fabulis patet, animo aegra, malo indulget et facile illecebras naturae appetitui et cupiditatibus, animi concitationes, quibus delectatur, legendo invenit. Lectores autem, quod haec fabulae saepius inhonesta iterant, assuescunt ea putare vulgaria et legitima, conscientiam mentemque suam tantopere hebetant ut contra malum repugnare non possint.

Constat vero aliquos auctores quodam discessu de his tractare, aliquando censura vel ironia; sed unquam improbatione vel damnatione; et unquam impulsio ad liberationem et boni victoriam invenitur. Praeterea naturae debilitate, quam mores aut tempus imponit, plures homines lascivissimarum imaginum voluptati indulgent magis quam monita, quae insunt, audiunt. Non excludendum est antidotum utile esse; sed qui hominum naturae haud ignarus est, satis bene intelligit vanum esse animum eorum curare (bona fide posita et concessa) tali ratione et via.

* * *

In rebus « negativis » illustrandis (nec omnia diximus), quae in fabulis et libris nostrae aetatis leguntur, morati sumus, ut omnes

quam gravis sit rerum status videant et quomodo necesse sit remedium interponi.

His rebus visis satis aperte intelligitur cur Patres Sancti Officii, ut explicabatur pro auctoritate diurnis « Osservatore Romano » a. d. VIII Kalendas Iunias editis, explorato et deplorato « immani damno » quod fidelibus datur maxima facilitate qua libri, libelli, commentarii, qui aperte narrant vel exprimunt vel docent lascivias et obscena, pervulgantur, et immoderata legendi cupiditate omnia quae in manus perveniant, praesertim fabellas et fabulas commenticias, sine argumenti cura, trepident et fideles moneant de gravi periculo animis obventuro.

Priusquam haec « monita » perpendamus, operae pretium dicere ducimus cuiusnam generis opera quae in eisdem notentur.

Notatur omne genus editionum (libri, opuscula, commentarii et folia proponentia aliquid suadentiaque etc.) quae vel narrent (ut fabulae et fabellae, historicae vel propriae vitae narrationes) vel exprimant (ut multa opera et commentaria fictae scientiae, quae aperte tractant de sexuum coniunctione) vel doceant (ut pleraeque de initiatione ad sexum vel aliae quibus homines, sine religionis sollicitudine, rationes cum virtute discrepantes exponunt) lascivias vel obscenitates ita ut provocent contra sextum Decalogi praeceptum.

Ut supra diximus, multi libri istiusmodi — aliquando clandestini — impune circumferuntur, saepe cum imaginibus photographicis vel linearibus picturis, et temere et facile etiam ab iuvenibus et adulescentibus leguntur.

Ecclesia non reprobans sed favens humanitatis studiorum propagationi, hoc praeterire non potest pro sceleribus quae libri, de quibus supra, contra privatos et publicos mores faciunt, et ideo *commonet*, accurate:

1) Omnibus fidelibus gravissimum onus memorat ut a lectione et ostensione (etiam a venditione vel mutatione) se abstineant horum librorum, vel ephemeridum, secundum Codicis Iuris Canonicis doctrinam, qui vetat quominus liber prohibitus « sine debita licentia nec edi, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicarsi possit » (can. 1398, § 1).

2) Hortatur omnes, quorum officium est iuvenes erudire et docere et instituere, ut, memores sui officii favendi morum conformationi, quos Deus ipse educandos dedit, eos ab insidiis editionum pravarum defendant et studeant parare ea quae suppeditent ad animi vitam, ne opus et pietatis studium in periculum venenis abducantur.

His autem in rebus bene est meminisse fabellarum quae libidinose, certo tempore, omnibus praesertim iuvenibus turpitudinem

patefaciunt et, quoquo modo res se habeat, falsam vitae opinionem et officii matrimonii gignunt, munus hos removendi libellos educatoribus grave est.

3) Postremo ad Magistratus accedit, quod est munus proprium magistratuum defendere publicos mores vitae ethicae civium propitios, ut impediant omnibus modis, etiam aptis legibus, quominus opera perversa vulgentur quae primis iisdem fundamentis honesti obsistant, quae vir probus absolute conscientiae necessaria, neque prodenda, intellegit. Gravissimus error est, omnium malorum populis causa, ad hanc rem Magistratus nihil posse putare, vel in absolvendo officio libere indormire, non afficientes atque obstantes pravis moribus qui e pessimis lectionibus proveniunt.

Naturae lex et Evangelium imperant ut celeri fortique interventu frenum ponatur, quod autem sit verae humanitatis tutela [1].

Sancti Officii monita dubia non sunt. Omnes, ad quos aperte attinet, lectores, parentes, praeceptores, magistratusque, munus est de suis officiis cogitare. Eadem monita auctoribus, editoribus, librariis atque bibliopolis. Omnes tandem aliquando intelligant Ecclesiam non sine causa loqui, admonere et condemnare, consciam sui officii et iuris docendi et ducendi animas easque certiores faciendi de periculis quae earum saluti obstare possunt.

Hominum generi calamitas est Ecclesiae verbum repudiare, quae virtutis habitum et mali periculum ostendit. Sed omnes homines inter se cohaerescant, praesertim ii quibus fides Christi est dono, ut forti et constanti pertinacia, omnibus rebus utantur ad cohercendam turpitudinem, quae perniciose in omnia, mentes, mores, instituta, impendet, parans hominibus dies nefastos.

P. Raymundus Spiazzi O. P.
Prof. in Pontificio Athenaeo Angelico de Urbe

(1) Cfr. P. M. Castellano O. P., *Un monito del S. Uffizio*, in *Iustitia*, Roma, V, maggio-luglio 1952, p. 138 ss.

ADNOTATIONES AD MONITUM DE LITTERATURA SEXUALI ET DE « AMPLEXU RESERVATO ».

(Cfr. *Monitor Eccles. vol.* 77, pag. 393).

In hoc monito de duobus tractat Suprema S. Congregatio S. Officii: 1) de auctoribus qui de vita coniugali agentes, passim palam et minute ad singula ad eam spectantia inverecunde descendunt; 2) de « amplexu reservato » quem plures describunt, laudant et suadent. De hac duplici quaestione separatim agetur.

I. *SCRIPTORES DE RE SEXUALI.*

Primo exponetur factum de litteratura sexuali; ostendetur et explicabitur postea interventus Ecclesiae, summorum Pontificum scil. et S. Officii.

I. Exponitur factum. Constat litteraturam de re sexuali inverecunde tractantem, in libris, opusculis, ephemeridibus, diariis, a 50 ultimis annis semper augeri, apud omnes populos divulgari et omnibus mediis propagari. Quicumque sit finis ab ipsis intentus (scientificus, medicus, commercialis, pornographicus), plures ex his auctoribus de vita intima coniugum agunt, omni sensu pudoris seposito, nec eos pudet vel minima particularia, quamvis turpissima, minute ac vivide describere.

Sic, sub aspectu scientifico vel pseudoscientifico, multi libri a medicis scripti, pluries editi ac in variis linguis translati, mediante enormi propaganda, in omnibus fere nationibus diffusi inveniuntur. Ita, ut quosdam afferamus, liber Dr. van de Velde, *De matrimonio perfecto* (in Indicem relatus die 11-3-1931), Dr. Kahn, de vita sexuali (*Notre vie sexuelle, ses problèmes, ses solutions;* manuel pratique pour tout le monde. Versio gallica, Zurich); Dr. A. Forel, *La Question sexuelle*, (Lausanne); B. Russell, *de Matrimonio et moralitate* (auctor proemium « Nobel » meruit!) Dr. Kinsey, in USA, cuius exstat iam valde diffusa relatio « de vita sexuali viri » (italice: *Il comportamento sessuale dell'uomo*) nec non « de vita sexuali mulieris ».

Etiam in quibusdam libris ac ephemeridibus (praesertim Galliae, Belgii et USA) qui psychoanalysim iuxta pansexualismum Freud student (v. g. in « *Revue française de psychanalyse* », in articulis M. Bonaparte), non raro habentur descriptiones quae pudorem ac moralitatem offendunt ac sexualem libidinem facile excitant.

Aliquid simile frequenter invenies in modernis *Digest* de re sexuali vel medica, v. g. in Italia, in *Selezione sessuale*, *Selezione medica*, *Vivere* (Sexual Digest), *Scienza e Sessualità*, in quibus res venereae inverecunde ac minute narrantur [1].

Item in litteratura romantica (*romanzi*, *novelle*), res eroticae, cum omnibus particularibus saepe vivido modo describuntur, ita ut hi libri pro moralitate omnium legentium, maxime iuvenum, gravissimum ac universale constituunt periculum. Quot damna causaverit haec obscoena litteratura, v. g. libri scripti a Zola, Gide, Margueritte, D'Annunzio, Pincherle (Moravia), vix imaginari potest.

Cum tristitia confitendum est, inter auctores de his rebus tractantes, etiam quosdam catholicos inveniri, qui, lege pudoris ac prudentiae oblita vel despecta, de vita intima coniugum cum nimia libertate tractant; ita v. g. (saltem in quibusdam paginis eorum operum), Dr. Jourenvoux: *Témoignages sur l'amour humain*, Dr. Carnot: *Au service de l'amour;* ita praesertim P. Chanson, qui in suis libris *L'Art d'aimer*, *Art d'aimer et continence conjugale*, *L'Accord charnel*, res sexuales et praecipue amplexum reservatum vivide describit. De his rebus isti auctores ita audacter et procaciter interdum loquuntur, ut a scriptoribus res pornographicas ex professo describentibus vix differre videantur.

De simili facto iam anno 1927 lamentabatur S. O. « Maxime dolendum, a scriptoribus qui christiano nomine se iactant, operam studiumque in tam exitiosas litteras conferri... Discant isti tandem aliquando se duobus dominis servire non posse, Deo et libidini, religioni et impudicitiae » [2].

Omnes hi auctores a S. O. (in ultimo Monito) reprobantur ex eo quod « de vita coniugum agentes, passim, palam et minute ad singula ad eam spectantia inverecunde descendunt »:

Passim, i. e. sine ulla discretione et prudentia, suas doctrinas omnibus, adultis ac iuvenibus, indiscriminatim proponendo, non satis attendentes an id de quo disserunt sit verum, falsum vel exaggeratum, an sit prudens et opportunum de his rebus scribere et eas tali modo depingere, an exinde mali effectus forsan sequi possint;

Palam, i. e. non in occulto et secreto, et quasi velatis verbis, sed omnino publice, claris et apertis verbis;

Minute, i. e. rem non solum quoad essentialia considerando, sed usque ad minima particularia, quamvis in se turpissima, descendendo et ea vivido colore depingendo, ita ut istae res admodum delectabiles ac libidinis excitativae appareant.

[1] Cf. *Aggiornamenti sociali*, 1951, p. 127; *Civiltà cattolica*, aprile 1951, p. 64-67.

[2] A. A. S. 1927, p. 187; Cf. *Periodica*, 1927, p. 21-22.

Quantum vero damnum ex hac lasciva litteratura derivetur pro animabus, ita declaratur a S. O. iam anno 1927: « Nunc vero satis dolere non licet, ex hac affluentia librorum in quibus magna cum fascinatione nugacitatis par inest turpitudo, gravissimam iacturam animarum existere. Etenim quam plures huius generis scriptores fulgentissimis imaginibus impudica facta depingunt; obscoenissima quaeque, modo tecte, modo aperte et procaciter, omni castimoniae lege neglecta enarrant; subtili quadam analysi vitia carnalia vel pessima describunt eaque cunctis orationis luminibus et lenociniis exornant, adeo ut nihil iam in moribus inviolatum relinquatur. Id omne quam perniciosum sit, praesertim adolescentibus, quibus fervor aetatis difficiliorem efficit continentiam, nemo est qui non videat. Volumina autem illa, tenuia saepe, parvo venalia prostant apud bibliopolas, per vias et plateas civitatum, in stationibus, quae dicuntur, viae ferreae, eademque in manus omnium mira rapiditate veniunt et familias christianas in magna et luctuosa frequenter discrimina adducunt. Nam quis ignorat litteris eiusmodi phantasiam fortiter excitari, effrenatam libidinem vehementer accendi et cor in coenum turpitudinum trahi? » [3].

II. Interventus Ecclesiae. Contra perniciosam hanc litteraturam, Ecclesia, ut officio suo doctrinam de moribus tuendi ac defendendi satisfaceret, sive per Summos Pontifices, sive per Sanctum Officium, saepe saepius intervenit.

A. Summi Pontifices. Ita Pius XI in Enc. *Divini Magistri* seu de educatione christiana (31-12-1929), sic dictam initiationem seu instructionem sexualem, quam multi auctores pueris ac iuvenibus necessariam esse contendunt, et quidem publice edocendam et seclusa omni religione et pietate, prorsus condemnavit: « Passim enim bene multi et stulte et periculose eam tenent provehuntque educandi rationem, quae sexualis putide dicitur, cum iidem perperam sentiant, posse se, per artes mere naturales et quovis amoto religionis pietatisque praesidio, adolescentibus a voluptate et luxuria praecavere, scilicet hos omnes, nullo sexus discrimine, vel publice, lubricis initiando instruendoque doctrinis, immo, quod peius est, mature occasionibus obiciendo, ut eorum animus, eiusmodi rebus — quaemadmodum ipsi aiunt — assuetus, quasi ad pubertatis pericula obdurescat » [4].

Item in Enc. *Casti Connubii* (31-12-30), summus Pontifex lamentatur de pornographica litteratura, qua vitia etiam turpissima omnibus mediis modernis divulgantur, describuntur et exaltantur:

---

[3] A. A. S. 1927, p. 186; Cf. *Periodica*, 1927, p. 202.
[4] A. A. S. 1930, p. 71; Denz., n. 2214.

« Divinum hoc institutum (matrimonium) nostra potissimum aetate, spretum saepe ac passim abiectum conspicimus. Non iam enim occulte neque in tenebris, sed palam, quovis pudoris sensu deposito, qua voce, qua scriptis, scaenicis cuiusque generis ludis, fabulis romanensibus, amatoriis ludicrisque narrationibus, cinematographis quae dicuntur imaginibus, radiophonicis orationibus, omnibus denique recentioris scientiae inventis, matrimonii sanctitas vel conculcatur vel deridetur; divortia, adulteria, turpissima quaeque vitia aut laudibus extolluntur aut saltem iis depinguntur coloribus, ut ab omni culpa et infamia vindicari videantur... Hodierni matrimonii eversores toti in eo sunt, ut sermonibus, scriptis, libris et libellis, aliisque innumeris modis mentes pervertant, animos corrumpant, coniugalem castimoniam ludibrio dent, turpissima vitia quaeque laudibus efferant » [5].

Pius XII, praesertim ultimis annis, de hac re pluries sermones habuit. Citabimus praecipuas tres allocutiones tantum, in quibus mentem suam clare manifestat.

1) In allocutione *ad patresfamilias Galliae* (18-9-51), asserit opinionem publicam in perversos errores (quoad res sexuales) incidisse, ideoque rectificatione indigere. Hi errores facile divulgantur per subdolem propagandam, quam favent etiam catholici quidam, qui se spiritu mali deceptos esse forsan ne suspicari quidem videntur. Dolet insuper summus Pontifex de intolerabili impudentia ac procacitate huius litteraturae, qua res ad vitam intimam coniugum pertinentes (de quibus vel ipsi pagani tacebant) ita inverecunde describuntur, quod non a catholicis, sed a scriptoribus de rebus obscoenis ex professo tractantibus hoc fieri credideris [6]. Exinde

---

[5] A. A. S. 1930, p. 556, 681.

[6] « Il est un terrain, sur lequel cette éducation de l'opinion publique, sa rectification, s'impose avec une urgence tragique. Elle s'est trouvée, sur ce terrain, pervertie par une propagande, que l'on n'hésiterait pas à appeler funeste, bien qu'elle émane cette fois de source catholique et qu'elle vise à agir sur les catholiques, et même si ceux qui l'exercent, ne paraissent pas se douter qu'ils sont, à leur insu, illusionnés par l'esprit du mal. Nous voulons parler ici d'écrits, livres et articles, touchant l'initiation sexuelle, qui souvent obtiennent aujourd'hui d'énormes succès de librairie et inondent le monde entier, submergeant la génération montante, troublant les fiancés et les jeunes époux. On reste atterré en face de l'intolérable effronterie d'une telle littérature : alors que devant le secret de l'intimité coniugale, le paganisme lui-même semblait s'arrêter avec respect, il faut en voir violer le mystère et en donner la vision — sensuelle et vécue — en pâture au grand public, à la jeunesse même. Vraiment, c'est à se demander si la frontière est encore suffisamment marquée entre cette initiation, soi-disant catholique, et la presse ou l'illustration érotique et obscène qui de propos délibéré, vise la corruption ou exploite honteusement, par vil intérêt, les plus bas instincts de la nature déchue ». A. A. S, 1951, p. 732-733.

duplex malum: 1) Valor ac momentum elementi sexualis in vita nimis exaggeratur, ita ut beatitudo huius vitae in his facile ponatur; 2) negligitur omnino experientia omnium temporum, iuxta quam initiatio et instructio sexualis animabus graviter nocet, nisi sit valde discreta et perficiatur per educationem voluntatis et cordis, per exercitium virtutum, auxiliantibus mediis supernaturalibus (oratione, devotione ad B. V. M., sacramentis), de quibus tamen, in his scriptis, vix unum verbum invenies [7].

2) In momentosa allocutione *ad obstetrices* (29-10-51), Summus Pontifex iterum reprobat hedonismum effrenatum hodiernum, quo redolent tot scripta moderna (de re sexuali) quique ubique diffusus, capax est totam vitam coniugalem (cogitationes, desideria, actus) pervertendi. Quem hedonismum antichristianum non pudet quosdam erigere in doctrinam, ac si matrimonialis vitae felicitas in his voluptatibus principaliter consisteret. Ideo catholici, viribus unitis, contendere debent ut impediatur diffusio huius perversae litteraturae, quae, sub praetextu animos instruendi ac dirigendi, minutam descriptionem actus coniugalis necessariam esse existimat. Ut animae timoratae (quoad istas res) tranquillitate gaudeant, sufficiunt ut in pluribus sensus communis, instinctus naturalis ac brevis instructio de claris principiis moralitatis christianae [8].

[7] « Cette propagande menace encore le peuple catholique d'un double fléau, pour ne pas employer une expression plus forte. En premier lieu, elle exagère outre mesure l'importance et la portée, dans la vie, de l'élément sexuel... Elle fait perdre de vue la vraie fin primordiale du mariage, qui est la procréation et l'éducation de l'enfant, et le grave devoir des époux vis-à-vis de cette fin, que les écrits, dont nous parlons, laissent par trop dans l'ombre. En second lieu, cette littérature, pour l'appeler ainsi, ne semble tenir aucun compte de l'expérience générale, d'hier, d'aujourd'hui et de toujours, parce que fondée sur la nature, qui atteste que, dans l'éducation morale, ni l'initiation, ni l'instruction, ne présente de soi aucun avantage, qu'elle est, au contraire, gravement malsaine et préjudiciable, si elle n'est fortement liée à une constante discipline, à une vigoureuse maîtrise de soi-même, à l'usage surtout des forces surnaturelles de la prière et des sacrements. Tous les éducateurs catholiques dignes de leur nom et de leur mission savent bien le rôle prépondérant des énergies surnaturelles dans la sanctification de l'homme, jeune ou adulte, célibataire ou marié. De cela, dans ces écrits, à peine souffle-t-on un mot, si encore on ne le passe tout à fait sous silence ». A. A. S, 195 1, p. 733.

[8] « Pur troppo onde incessanti di edonismo invadono il mondo e minacciano di sommergere nella marea crescente dei pensieri, dei desideri e degli atti, tutta la vita matrimoniale, non senza seri pericoli e grave pregiudizio nell' uffizio primario dei coniugi. Questo edonismo anticristiano troppo spesso non si arrossisce di erigerlo a dottrina, inculcando la brama di rendere sempre più intenso il godimento nella preparazione e nella attuazione della unione coniugale... Bandite dal vostro spirito quel culto del piacere, e fate del vostro meglio per impedire la diffusione di una letteratura che si crede in dovere di descrivere in ogni particolare le intimità della vita coniugale, col pretesto di istruire, di dirigere e di rassicurare. Per tranquillizzare le coscienze timorate degli sposi bastano in genere il buon senso, l'istinto naturale e una breve istruzione sulle chiare e semplici massime della legge morale cristiana » A. A. S, 1951, p. 852-853.

3) Recentissime in allocutione *ad medicos* (occasione congressus histopathologiae systematis nervosi, 14-9-52), Pius XII quaedam verba habuit de methodo pansexuali cuiusdam scholae psychoanalysis, quae, ob fines therapeuticos, appetitus sexuales ac impura desideria e subconscientia evocare contendit. Iamvero Summus Pontifex clare asseruit nullo modo probatum, immo falsum esse: 1) quod haec methodus pansexualis sit pars integralis ac necessaria omnis psychotherapiae; 2) quod absentia seu carentia huius methodi in praeterito causaverit gravia damna psychica et errores in doctrina et in exercitio educationis, psychotherapiae ac curae animarum; 3) quod urgens adsit necessitas talem defectum supplendi, docendo iis quibus interest principia, immo vel ipsum modum huius methodi sexualitatis [9].

B. *Sanctum Officium*. Rebus fidei et morum tuendis praeposita, Suprema Congregatio Sancti Officii pluries intervenit ad litteraturam obscoenam reprobandam eiusque nefastos effectus compescendos.

1) Sic iam anno 1927 (die 3 maii), ad locorum Ordinarios misit Instructionem qua reprobatur *litteratura sensualitati et libidini aut etiam lascivo cuidam mysticismo indulgens*, et simul monentur episcopi de sua obligatione vigilandi ne huiusmodi pravi libri inter fideles diffundantur: « Inter mala huius aetatis funestissima, quae doctrinam christianam de moribus penitus subvertunt atque animabus, Iesu Christi emptis pretioso sanguine, admodum nocent, imprimis numeranda sunt ea litterarum genera quae sensualitati et libidini aut etiam lascivo cuidam mysticismo indulgent. Huiusmodi sunt praecipue fabulae romanenses, narratiunculae commentitiae,

---

[9] « Pour se délivrer de refoulements, d'inhibitions, de complexes psychiques, l'homme n'est pas libre de réveiller en lui, à des fins thérapeutiques, tous et chacun de ces appétits de la sphère sexuelle, qui s'agitent ou se sont agités en son être, et roulent leurs flots impurs dans son inconscient ou son subconscient. Il ne peut en faire l'objet de ses représentations et de ses désirs pleinement conscients, avec tous les ébranlements et les répercussions qu'entraîne un tel procédé. Pour l'homme et le chrétien existe une loi d'intégrité et de pureté personnelle de soi, qui interdit de se plonger aussi totalement dans le monde des représentations et des tendances sexuelles. L'« intérêt médical et psychothérapeutique du patient » trouve ici une limite morale. Il n'est pas prouvé, il est même inexact, que la méthode pansexuelle d'une certaine école de psychanalyse soit une partie intégrante indispensable de toute psychothérapie sérieuse et digne de ce nom; que le fait d'avoir dans le passé négligé cette méthode ait causé de graves dommages psychiques, des erreurs dans la doctrine et dans les applications en éducation, en psychothérapie et non moins encore dans la pastorale; qu'il soit urgent de combler cette lacune, et d'initier tous ceux qui s'occupent de questions psychiques aux idées directrices, et même, s'il le faut, au maniement pratique de cette technique de la sexualité ». *Osserv. Rom.*, 17 Sett. 1952.

dramata, comoediae, quarum quidem scriptionum incredibiliter fecunda sunt haec tempora quotidieque maior ubique copia diffunditur... Itaque perspecta litterarum lascivarum colluvie, quae quoquo anno latius omnes fere nationes inundat, Sacra haec Suprema S. O. Congregatio... omnibus locorum Ordinariis mandat, ut omni qua possunt ope tanto tamque praesenti malo mederi conentur... Neminem autem illud effugit, libros qui toto orbe hodie vulgantur, longe crebriores esse quam qui a Sede Apostolica examini possint subici... Quare Ordinarii, ex canone 1397 CIC., per se aut per Consilia *a vigilantia*, sedulo naviterque gravissimum istud munus explere studeant; neque opportune denunciare in diocesanis Commentariis praetermittant eosdem libros uti damnatos et quam maxime noxios... Insuper omnibus declarare qui libri nominatim pro singularum diocesium necessitatibus, ipso iure prohibiti sint Ordinarii ne omittant » [10].

2) Pariter, die 29 martii 1930, S. .O. decretum edidit quo methodus *educationis sexualis* proscribitur. Quaestioni an probari queat methodus, quam vocant, « educationis sexualis » vel etiam « initiationis sexualis », respondit: Negative; et servandam omnino in educatione iuventutis methodum ab Ecclesia sanctisque viris hactenus adhibitam et a SS. Domino Nostro in Enc. *De christiana iuventae educatione* (31-12-29) commendatam » [11].

3) Hoc anno (20-5-52), occasione sumpta ex condemnatione librorum Pincherle (Moravia) et Gide, S. O. monitum dedit in quo, perspectis pessimis effectibus huius *lascivae litteraturae*, graviter admonet a) fideles, ut a pravis libris legendis abstineant; b) educatores, ut ab eis praeservent iuvenes; c) ipsos magistratus, ut hanc litteraturam prohibeant.

En tenor documenti: « Hac oblata occasione, Emmi ac Revmi Patres, ingens damnum deplorantes quod animabus infertur, cum ex effrenata licentia edendi ac divulgandi libros, libellos, ephemerides quae res lascivas aut obscoenas ex professo narrant, describunt aut docent, tum ex nefasta eadem indiscriminatim legendi cupiditate, monendos censuerunt:

omnes christifideles, ut memores sint gravissimae obligationis ab eorundem librorum et ephemeridum lectione prorsus sese abstinendi;

eos ad quos pertinet iuvenum institutio atque educatio, ut gravissimi officii conscii, illos ab huiusmodi scriptis, utpote ab insidioso veneno, omnino arceant;

---

[10] A. A. S., 1927, p. 186 sqq. *Periodica*, 1927, p. 20-23.
[11] A. A. S., 1931, p. 118; *Denziger*, n. 2251.

eos tandem qui pro suo munere civium mores moderari tenentur, ne huiusmodi scripta, quae ipsa naturalis honestatis principia ac fundamenta evertere nituntur, edi et evulgari sinant » [12].

In hoc monito hoc peculiariter notandum est, quod S. O. non solum personis singularibus officia sua in hac re in mentem revocat, sed etiam publicae auctoritati civili (quod summi Pontifices pluries quidem fecerunt, sed S. O. forsan prima vice). Insuper, cum in his de iure naturali agatur, praeterquam catholicos, omnem auctoritatem civilem et omnes magistratus (etiam acatholicos) admonet S. O. de suo gravi onere diffusionem huius lascivae litteraturae impediendi. Pertinet ergo ad Statum ferre leges quibus libri pravi (praecipue illi qui pueris et iuvenibus destinantur) omnino proscribantur, et serio curare ut hae leges in praxi firmiter, constanter ac uniformiter observentur, transgressoribus severissime punitis [13].

4) Ultimo habetur Monitum S. O. die 30 iunii 1952 datum, in quo reprobantur scriptores qui, de vita coniugum agentes, *passim palam et minute* ad singula ad eam spectantia *inverecunde* descendunt, nec non illi qui *amplexum reservatum* describunt. In hoc documento tria distingui possunt: 1) grave monitum ad hos scriptores, ut a tali modo agendi desistant; 2) hortationem ad pastores, ut in his rebus sedulo advigilent et quae opportuna sint remedia sollicite apponant; 3) prohibitionem relate ad amplexum reservatum, de qua postea [14].

a) *Scriptores*, catholici praesertim, qui hucusque de re sexuali ita indecenter scripserunt, quamvis in bona fide et cum recta intentione hoc fecerint, a tali modo agendi sub gravi desistere tenentur. Agitur enim de gravi monito (« graviter monet S. O. ») et quidem « de expresso mandato Summi Pontificis »; patet insuper nos hic in materia gravi versari, cum his scriptis fideles gravibus periculis erroris et immoralitatis exponuntur, ut ex supra dictis patet.

Aliunde saepe « in eo isti homines graviter errant, quod nativam humanae naturae fragilitatem non agnoscunt neque *legem* illam *membris nostris* insitam, quae, ut verbis utamur Pauli Apostoli, *mentis legi repugnat*, (Rom., VII, 23), idque praeterea temere infitiantur quod usu quotidiano didicimus, iuvenes nempe prae aliis in turpia saepius incidere, non tam ob mancam cognitionem mentis, quam ob infirmitatem voluntatis illecebris obnoxiae atque divinis auxiliis destitutae » [15].

---

[12] A. A. S., 1952, p. 432.

[13] Cf. M. Castellano: *Un Monito del S. Uffizio*, in *Iustitia*, 1952, p. 138-40.

[14] A. A. S., 1952, p. 546.

[15] Enc. *De christiana iuventutis educatione*; A. A. S., 1930, p. 71; *Denziger*, n. 2214.

Nec valent rationes (artis, litteraturae, psychologiae, etc.) ab ipsis scriptoribus allatae ad seipsos excusandos. De his agens, sic aiebat S. O. anno 1927: « Ne quis vero illa opponat: in pluribus illorum librorum nitorem et ornamenta orationis vere laudanda inesse, psychologiam hodiernis inventis congruentem praeclare doceri, lascivas autem corporis voluptates eo reprobari quod exprimantur, ut sunt, foedissimae, aut quod interdum cum conscientiae angoribus coniunctae ostendantur, vel quod patefiat quam saepe extrema turpissimi gaudii luctus cuiusdam poenitentiae occupet. Nam neque scribendi elegantia, nec medicinae aut philosophiae scientia — si modo his litterarum generibus ea continentur — nec mens, quaevis ea sit, auctorum impedire unquam possunt quominus lectores, quorum generatim, propter naturae corruptionem, magna est fragilitas magnaque ad luxuriam propensio, paginarum immundarum illecebris sensim irretiti, et mentibus pervertantur et cordibus depraventur, ac, remissis habenis cupiditatum, ad scelera omnis generis delabantur, vitamque ipsam, sordibus oppletam, fastidientes, haud raro se ipsi interimant » [16].

b) « Sacros quoque *Pasterose* enixe hortatur (S. O.) ut in his rebus sedulo advigilent et quae opportuna sint remedia sollicite apponant ».

Quoad *pueros et iuvenes*, S. O. servandam esse decrevit in educatione iuventutis methodum ab Ecclesia adhibitam et a Pio XI in Enc. de educatione christiana commendatam. « Curandam scil. imprimis plenam, firmam, nunquam intermissam iuventae utriusque sexus religiosam institutionem; excitandam in ea angelicae virtutis aestimationem, desiderium, amorem; eique summopere inculcandum ut instet orationi, sacramentis poenitentiae et SS.mae Eucharistiae sit assidua, Beatam Virginem, sanctae puritatis matrem, filiali devotione prosequatur eiusque protectioni totam se committat; periculosas lectiones, obscoena spectacula, improborum conversationem et quaslibet peccandi occasiones sedulo devitet » [17].

Coniuges vero addiscant iuxta praecepta Dei et Ecclesiae vitam agere, in exercitio virtutum ac praecipue in amore Dei et proximi felicitatem quaerere, pudicitiam et castitatem coniugalem fideliter servare, in omnibus et praesertim in usu matrimonii moderationem ostendere. Doctrinae Ecclesiae de re matrimoniali scrupulose adhaerentes, a variis erroribus qui de hac re circumferuntur sedulo caveant, memores spiritum mundi spiritui christiano radicaliter esse oppositum.

---

[16] A. A. S., 1927, p. 187; *Periodica*, 1927, p. 21.
[17] A. A. S., 1931, p. 118; *Denziger*, n. 2251.

Abstineant ergo ab his libris legendis qui vitam sexualem inverecunde describunt et ad libidinem excitant, et, ut a Statu prohibeantur, obtinere contendant. In quacumque difficultate inveniantur, sciant castitatem cum gratia Dei semper esse possibilem, dummodo ex parte sua media adhibeant, orationem, sacramenta, fugam occasionum, ad auxilium gratiae efficacius obtinendum. Conscii insuper de sua dignitate qua sunt filii Dei et heredes vitae eternae, ad coelestia semper aspirent, in amore Dei continuo crescant, in operibus misericordiae et Actionis catholicae libenter et generose se exerceant: sic vitam agent vere christianam, Deo et angelis gratam sibique vere fructuosam.

II. *DE « AMPLEXU RESERVATO »*.

In suo Monito, S. O. animadvertit etiam « nonullos actum quemdam, amplexum reservatum nuncupatum, describere, laudare et suadere ». Postea graviter monet hos scriptores « ut ab huiusmodi ratione desistant », hortatur Pastores « ut in his rebus sedulo advigilent et quae opportuna sint remedia sollicite apponant ». Addit tandem haec verba bene notanda: « Sacerdotes autem, in cura animarum et in conscientiis dirigendis, nunquam, sive sponte, sive interrogati, ita loqui praesumant, quasi ex parte legis christianae contra amplexum reservatum nihil esset obiciendum ».

I. Status quaestionis. Amplexus reservatus (étreinte réservée, carezza orientale) consistit in copula inchoata a coniugibus cum intentione seminationem cohibendi, et quidem sine periculo proximo pollutionis. Licet hoc quasi impossibile videatur (etenim coniunctione corporum semel peracta, quasi necessario sequitur seminatio), nonnulli medici et coniuges asserunt id possibile esse — saltem aliquibus — mediante praeparatione, exercitio ac dominio voluntatis in sensus.

Ad talem praxim recurrunt coniuges qui prolem habere nolunt vel nequeunt (v. g. ratione paupertatis, periculi in partu), voluptatibus autem carnis renuntiare recusant. Licet in tali amplexu perfectus orgasmus cum seminatione desit, habetur tamen vera delectatio carnalis, quam coniuges etiam per 20-30 minuta prolongare valent.

Haec praxis iam apud antiquos nota erat, cum de ea loquantur veteres moralistae, ut s. Antoninus, Caietanus, Sanchez, Billuart, s. Alphonsus, Sporer, etc. [18].

---

[18] Cf. opusculum nostrum *De amplexu reservato*, pag. 35 (Romae, Salita del Grillo, 1), extractum ex « *Angelicum* », 1951, p. 313-345.

[19] Cf. *Feuilles familiales*, 1951, p. 172; *Le Prêtre et la famille*, 1950, p. 35.

Ultimis tamen annis iterum divulgata est, praesertim in Gallia et Belgio, a D. Chanson, qui in suis libris (iam supra citatis) illam modo minuto, vivido ac quasi lyrico describit. Exinde, sive in ephemeridibus coniugibus destinatis [19] sive in libris (ut in *Limitation des naissances et conscience chrétienne*), de hac re — praecipue a catholicis — scripti sunt diversi articuli, in quibus amplexus reservatus describitur, laudatur et suadetur.

A fere omnibus enim res admittitur vel potius admittebatur ut *licita*, ad instar cuiusdam tactus impudici qui inter coniuges permittitur. Ita v. g. Vermeersch, Cappello, Dermine, Tiberghien, Carpentier, Kuppens [20]. Unica quaestio ponebatur, an scil. res esset conveniens sanitati corporali. Haec praxis eo facilius diffusionem obtinuit, praecipue inter catholicos, quod habebatur ut quid licitum, ut optimum remedium contra onanismum et simul ut efficax modus concupiscentiam sedandi et affectum sibi mutuo manifestandi.

Apud plures tamen *dubium* aderat de liceitate huius methodi; quod dubium adhuc crevit quando S. O. (die 12 augusti 1950) decrevit ut libri D. Chanson e commercio retraherentur, quod decretum archiepiscopus Parisiensis die 30 septembris eiusdem anni promulgavit [21]. Interventum vero S. O. quidam interpretati sunt non ratione illiceitatis praxis, sed ratione imprudentiae in modo illam describendi ac suadendi [22]. Quapropter hanc methodum plures (etiam sacerdotes) adhuc suadebant ac commendabant; et ipse D. Chanson alios libros de hac re edidit ut *L'Etreinte réservée*: *Témoignages des époux*, et *L'Accord charnel*.

II. Monitum S. O. (30-6-52). Hoc anno tandem S. O. publicum monitum in AAS editum, suam mentem de hac re aperuit.

a) *Scriptores* de hac re (praesertim catholicos) graviter admonet ut a tali modo agendi prorsus abstineant. Si tale monitum valet pro omnibus scriptoribus de re sexuali inverecunde agentibus, ut supra vidimus, valet etiam pro illis qui amplexum reservatum describunt.

b) S. O. petit ut *Pastores* in his rebus sedulo vigilent et opportuna remedia adhibeant. Interest enim ut catholici coniuges per lectionem horum librorum periculis erroris et immoralitatis non exponantur, et in Ecclesia omnia media ad caste christianeque vivendum inveniant. Haec duo puncta iam in prima parte explicata sunt, ubi de litteratura sexuali in genere.

---

[20] Vermeersh, *Theol. Mor.* IV, n. 73, NB 2 et in *De Castitate*, n. 27; Cappello, de Matr., II, n. 796, 4. Cf. opusculum nostrum, p. 14, sqq.

[21] *La Semaine religieuse de Paris*, 1951 12 sept. 1950.

[22] Ita Kuppens, in *Revue ecclésiastique de Liège*, 1950, p. 246-249.

c) In tertio puncto S. O. prohibet sacerdotes in cura animarum et in conscientiis dirigendis *ne unquam, sive sponte sive interrogati, ita loqui praesumant, quasi ex parte legis christianae contra amplexum reservatum nihil esset obiciendum.*

Freti auctoritate aliquorum moralistarum, defensores huius praxis asserunt amplexum reservatum *certo esse licitum*, ideoque ex parte moralitatis christianae nihil ei obici posse. Talis modus loquendi hodie amplius sustineri non potest, cum minime certum sit amplexum reservatum licitum esse. Etenim contra eius liceitatem plures gravesque fieri possunt difficultates; immo nobis videtur hanc praxim *certo esse illicitam.*

Quod talis modus fruendi voluptatibus carnis, sine periculo pollutionis, sed ordine ad generationem positive excluso, sit legi naturali contrarius, est *sententia communis*, quam tenent v. g. Summa Sylvestrina, Caietanus, Summa Armilla, Conradi, Azor, Henriquez, Busenbaum, Salmanticenses, Antoine, Patuzzi, s. Alphonsus, Antonelli, Merkelbach, Lavaud, *L'Ami du Clergé*, etc. [23].

Etenim, vi contractus matrimonialis, vir non habet ius in corpus uxoris (et vice versa) nisi in ordine *ad actus per se aptos ad generationem prolis*, i. e. in ordine ad veram copulam, seu ad copulam rite factam cum seminatione. Iamvero patet copulam inchoatam cum expressa intentione cohibendi seminationem non esse actum per se aptum ad prolis generationem. Ergo ad talem actum coniuges nullum ius habent.

Insuper inchoatio copulae ad eius consummationem et ad generationem essentialiter ordinatur, sicut medium ad finem. Hic vero talis ordo essentialis copulae ad suum finem primarium seu ad generationem positive et voluntarie excluditur. Ergo actio est de se inordinata et illicita.

Pariter, iuxta s. Thomam, vitium contra naturam est *in omni actu venereo ex quo generatio sequi non potest* [24]. Sed ex copula facta cum intentione cohibendi seminationem generatio sequi non potest. Ergo talis actus venereus reductive pertinet ad vitium contra naturam.

Obicitur: Qui potest aliquem actum consummare, potest illum inchoare (qui potest plus, potest et minus; qui habet ius ad finem, habet ius ad medium). Ergo qui potest consummare copulam (se-

---

[23] Cf. Salmant., *Cursus Theol. Mor.*, t. VI, de sexto praecepto, n. 52-54; s. Alphonsus. *Theol. Mor.*, VI, 918; Antonelli, Med. Past. III, 849-853; Merkelbach, *Theol. Mor.* III, n. 956, 5. Cf. textus et alios auctores citatos in opusculo nostro, p. 15 et sqq. Idem sentit B. Lavaud, O. P. in « *Revue thomiste* » 1952, p. 470-472; *L'Ami du Clergé*, 1952. p. 692-695; M. Oraison: *Vie chretienne et Problèmes de la Sexualité*, Paris, 1952, p. 200-222.

[24] *Summa*, II-II, 154, 1.

minando), potest illam inchoare tantum (cohibendo seminationem).

Respondeo. Qui potest aliquem actum consummare, potest ilium inchoare, distinguo: potest illum inchoare, si habet intentionem illum *perficiendi*, concedo; si habet intentionem actum *non perficiendi*, subdistinguo:

a) si inchoatio actus est ex se aliquid *bonum* (non habens in se aliquid inordinatum), concedo: sic licet inchoare prandium vel scriptionem alicuius articuli cum intentione illa non perficiendi.

b) si actus vel inchoatio actus habet in se aliquid *mali*, nec est bonus nisi ratione finis seu ratione actus completi ad quem essentialiter ordinatur et cuius est inchoatio, nego; i. e. non potest quis inchoare talem actum, nisi intendat illum perficere. Sic medicus habet ius faciendi incisionem in ordine ad tumorem extrahendum; sed non habet ius ad incisionem tantum faciendam, si illam non ordinat ad finem suum, ad tumorem extrahendum; i. e. operationem chirurgicam non potest inchoare, si ab initio expresse intendit illam non perficere, partem corporis apertam relinquendo. Item sacerdos celebrans missam licite inchoat consecrationem (per panis consecrationem) si habet intentionem illam perficiendi, (per consecrationem vini); illicite vero ageret in casu contrario, si panem tantum consecrare vellet.

Pariter coniuges possunt copulam inchoare cum intentione illam perficiendi (quamvis forsan, per accidens, copula de facto interrumpatur, v. g. si quis inopinate venit); sed non habent ius illam inchoandi, si ab initio intendunt illam non perficere. Unde iuxta s. Thomam, actus venereus nunquam est licitus nisi fiat « debito modo et ordine, secundum quod est conveniens ad finem generationis humanae » [25]. Ideoque omnes moralistae supra citati hanc praxim illicitam dicunt, quia omnis actus venereus non ordinatus ad suum finem (ad generationem), est illicitus.

Hoc concordat etiam cum doctrina Ecclesiae, in Enc. *Casti Connubii* exposita. Verum est quidem quod « habentur tam in ipso matrimonio quam in coniugalis iuris usu etiam secundarii fines, ut sunt mutuum adiutorium mutuusque fovendus amor et concupiscentiae sedatio, quos intendere coniuges minime vetantur, *dummodo salva semper sit intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primarium finem debita ordinatio* » [26]. In casu nostro autem talis

---

[25] *Summa*, II-II, 153, 2.

[26] A. A. S., 1930, p. 511; *Denziger*, n. 2241. Actus humani *formaliter* sunt considerandi, et non materialiter. Accidere autem potest quod idem actus materialiter (vel actus inchoatus), si ordinatur ad debitum finem, est bonus et licitus; si non ordinatur ad debitum finem, est malus et illicitus. Sic inchoatio copulae (penetratio penis in vas uxoris), si ordinatur ad debitum finem (ad seminationem et generationem prolis) est bonus et licitus; si ad hunc finem non ordinatur, est malus

ordo positive et voluntarie tollitur: actio ergo est inordinata et illicita.

Ex dictis patet amplexum reservatum non esse in se seu obiective bonum et fieri malum solum ex circumstantiis, v. g. ex periculo pollutionis, sed esse actum *intrinsece malum*, etiam secluso periculo pollutionis, nam omnis actus venereus, carens ordine ad finem suum (ad generationem) est actus inordinatus et intrinsece malus. Si ergo amplexus reservatus est ex sua natura malus, sequitur illum *semper* esse malum, nec unquam dari posse circumstantias, quamvis extraordinarias (v. g. ratione paupertis vel periculi in partu), quibus licitus fieri posset; sicut onanismus, intrinsece malus, nunquam (nec ob particulares circumstantias) bonus ac licitus fieri potest.

Aliunde si talis actus, excluso ordine ad generationem, esset ex se licitus ut signum amoris vel ad concupiscentiam sedandam, quare non liceret inter sponsos iam ante matrimonium, vel etiam inter consanguineos, v. g. inter patrem et filiam, inter fratrem et sororem?

Notanda sunt insuper quaedam inconvenientia quae ex praxi amplexus reservati sequerentur. Etenim a) per talem copulam (de se non aptam ad generationem) matrimonium *non est consummatum*, quamvis hymen vaginae mulieris perforatum fuerit. Ergo ex perforatione hymenis, non posset amplius probari matrimonium fuisse *consummatum*.

b) Si coniuges per plures annos amplexum reservatum exercuerint, matrimonium non esset consummatum, ideoque *dissolvi* posset, quod bonis moribus repugnare videtur.

Ceteroquin certum est virum, in matrimonio, non habere ius ad corpus uxoris, nisi in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem. « In reliquis, quae nullam habent relationem ad actus per se aptos ad prolis generationem, coniugi nullum est ius (proinde nec relativa obligatio) in corpus alterius: hinc uxor non est serva viri aut instrumentum voluptatum eius, prouti penes paganos invaluit opinio » [27]. Quapropter nos pro *certo* habemus amplexum reservatum lege naturali esse prohibitum.

---

et illicitus. *Materialiter* quidem sunt *idem* actus, sed *formaliter* valde *differunt*; sicut copula in matrimonio et in fornicatione est idem actus materialiter, formaliter tamen differunt, dum unus ordinatur ad debitum finem (ad generationem et educationem prolis) et est bonus, alter vero ad hoc non ordinatur et est malus. Et « ordinari ad talem finem (inchoatio copulae ad cohibitionem seminationis), etsi accidat actui exteriori, non autem accidit actui interiori voluntatis, qui comparatur ad exteriorem sicut formale ad materiale » (*Summa*, I-II, 18, 6, ad 2). « Actus humani species (autem) *formaliter* consideratur secundum *finem* (intentum), materialiter autem secundum obiectum exterioris actus (I-II, 18, 6).

[27] Gasparri, *de Matrimonio*, I. n. 7.

Immo nobis videtur eum *graviter* esse illicitum, quod etiam plures theologi tenent. Agitur enim de re gravi, scil. de peccato quod reductive pertinet ad vitium contra naturam, cum in eo ordo actus venerei ad suum finem, generationem prolis, positive excludatur. Patet autem omne vitium contra naturam esse peccatum mortale.

Insuper, fines secundarii matrimonii (ut sedatio concupiscentiae et mutuus amor fovendus) obtineri non possunt, nisi *salvo fine primario*, cui essentialiter subordinantur. Sed in casu finis primarius positive et voluntarie excluditur, quod est gravis perturbatio ordinis [28].

Aliunde inter res illicitas, quid turpius cogitari potest? Si levis tactus impudicus, quem iuvenis habet in se unice ob delectationem, iam est peccatum mortale (quia non datur parvitas materiae), difficile intelligitur quomodo carnalis coniunctio corporum, excluso ordine ad generationem, ideoque ad vitium contra naturam pertinens, gravis inordinatio non esset.

Quae cum ita sint, iure meritoque S. O. haec statuit: « Sacerdotes in cura animarum et in conscientiis dirigendis, nunquam, sive sponte sive interrogati, ita loqui praesumant, quasi ex parte legis christianae contra amplexum reservatum nihil esset obiciendum ».

P. Hyacinthus-M. Hering, O. P.
Prof. apud « Angelicum ».

---

[28] Summus Pontifex Pius XII pluries in hoc insistit quod fines secundarii matrimonii fini primario essentialiter subordinantur. « Il matrimonio ha come fine primario la procreazione e l'educazione della prole. Gli altri fini sono ad esso *essenzialmente subordinati* ». Et si talis subordinatio tollitur, habetur « una *grave* inversione dell'ordine dei valori e dei fini, posti dallo stesso Creatore ». (Allocutio ad obstetrices, die 29 oct. 1951). Ergo fines secundarii obtineri non possunt, nisi salvo fine primario; secus (ut in casu nostro) erit gravis inordinatio.

SACRA CONGREGATIO PRO ECCLESIA ORIENTALI

DECRETUM

Canones 66, 281, 282, 283, 291 e *Motu Proprio* « Postquam Apostolicis Litteris » summam definiunt quam ultra beneplacitum Apostolicum requiritur in alienandis bonis pretiosis aliisque bonis Ecclesiae temporalibus necnon in contrahendis debitis et obligationibus.

Cum vero iidem canones de pecunia aurea non decernant, haec Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali praesenti Decreto quae sequuntur statuenda censet:

Perdurantibus nunc temporis adiunctis, beneplacitum Apostolicum in alienandis bonis pretiosis aliisque bonis Ecclesiae temporalibus necnon in contrahendis debitis et obligationibus necessarium erit si pretium in Patriarchatibus triginta milium francorum aureorum, extra Patriarchatus quindecim milium francorum aureorum, summam excedat.

Hierarchae iurisdictioni Patriarchae obnoxii, necnon ceteri in Patriarchatibus Religiosi Superiores, licentia indigent Patriarchae, ad normam eorumdem canonum, si pretium intra quindecim milia et triginta milia francorum aureorum contineatur.

Quae omnia, in Audientia diei 10 mensis Maii anni volventis, referente infrascripto Cardinali a Secretis, SS.mus D. N. Pius Divina Providentia PP. XII adprobare dignatus est.

Contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 10 mensis Maii anni 1952.

+ E. Card. Tisserant, Ep. Ostien. Portuen. et S. Rufinae, *a Secretis*

L. + S.

† Valerius Valeri, Archiep. Ephesin., *Adsessor*

(*A.A.S.* vol. 44, pag. 632 s.).

ADNOTATIONES

Cum propter vicissitudines bellicas et oeconomiae publicae perturbationes in multis regionibus nummorum vis valde diminuta sit, in applicandis canonibus 534 § 1 et 1532 § 1, n. 2 Codicis I. C. non parvae ortae sunt difficultates. Alii ex commentatoribus Codicis nor-

mam his canonibus datam de valore aureo pecuniae indicatae intelligendam duxerunt, alii de pecunia cartacea (Cf. v. g. quae in hoc periodico scripta sunt, t. 72, 1947, pp. 41-53).

His dubiis opportune remedium attulit Decretum iussu Summi Pontificis a S. Congregatione Consistoriali die 13 Julii 1951 editum (*A.A.S.* t. XXXXIII, 1951, p. 602), quo statuitur ut « perdurantibus praesentibus adiunctis et ad nutum S. Sedis, ad eandem Sedem Apostolicam sit recurrendum quotiescumque agatur de pecuniae summa quae decem milia francorum seu libellarum aureorum excedat » (Cf. in hoc periodico t. 76, 1951, p. 574).

Decreto vero S. Congregationis Consistorialis non comprehendebantur dioeceses et fideles rituum orientalium propter hanc rationem quod S. Congregationi pro Ecclesia Orientali « reservantur omnia cuiusque generis negotia quae sive ad personas sive ad disciplinam sive ad ritus Ecclesiarum orientalium referuntur » (can. 257 § 1), salva competentia Supremae Congregationis S. Officii. Peculiares enim Orientis christiani instituta et condiciones exigunt ut earum ratio habeatur.

Sicut autem Decretum S. C. Consistorialis normam Codicis I. C. non abrogat, sed, « perdurantibus praesentibus adiunctis et ad nutum S. Sedis » tantummodo, ei aliam substituit, ita etiam pro Orientalibus duplex norma habetur. Die 9 Febr. huius anni Summus Pontifex Motu proprio *Postquam Apostolicis Litteris* normam perduraturam et perpetuam constituit. In hac lege definitum est canonibus 66 et 281 ss. ut in alienandis rebus pretiosis aliisve bonis vel contrahendis debitis et obligationibus ad validitatem negotii opus sit licentia Sedis Apostolicae, si pretium excedat sexaginta milia francorum in patriarchatibus; triginta milia francorum extra patriarchatus. In patriarchatibus autem licentia Patriarchae, cum consensu synodi permanentis, opus est, si agatur de rebus, pretiosis haud exceptis, quae pretium excedunt triginta milia francorum, sed non superant summam sexaginta milium. Infra triginta milia francorum vero licentiam concedit Hierarcha loci vel Superior religiosus ad normam canonum quos citavimus. Verum ut hae normae aptarentur necessitatibus temporum praesentium, publicatum est die 10 Maii huius anni Decretum S. Congregationis pro Ecclesia Orientali quo decernitur ut ultra summam triginta milium francorum aureorum necessarium sit beneplacitum Apostolicum in patriarchatibus; ultra summam quindecim milium francorum aureorum extra patriarchatus. Hierarchae vero et ceteri Religiosi Superiores in patriarchatibus licentia indigent Patriarchae, ad normam canonum quos indicavimus, si pretium intra quindecim milia et triginta milia francorum aureorum contineatur.

Quod non in omnibus iidem limites servati sunt atque in normis statutis pro dioecesibus latinis admirationem movere non potest. Nam ex una parte ad Patriarcham spectat cura non unius dioecesis sed totius patriarchatus, in quo potestatem exercet; ex altera parte procedit in his licentiis concedendis cum consensu Synodi permanentis, quoties pretium superat quindecim milia francorum aureorum. Hierarchae vero licentia requiritur, si pretium rei medium summae ad competentiam Patriarchae spectantis attingit. Propter suam in territorio praesentiam Patriarchae facilius quoque vigilare possunt ne in concedenda licentia abusus irrepant.

Aemilius Herman S. I.

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ

SACRA ROMANA ROTA

DETROITEN

Nullitatis Matrimonii

(*Falow-Binzit*)

SENTENTIA DEFINITIVA

c. R. P. D. Augusto Fidecicchi, Ponente.

In Jure. - Recolenda est gravissima legis dispositio, qua matrimonia inter partem catholicam et partem acatholicam sed valide baptizatam, severissime prohibentur, propter periculum perversionis tum partis catholicae tum futurae prolis, quod periculum in eiusmodi nuptiis, quae dicuntur mixtae, saepissime inest. Quam ob rem a parte acatholica ponendae sunt in tuto cautiones qauedam a jure divino, naturali et ecclesiastico requisitae (Cfr. *Instr. S. C. S. O.* 3 Jan. 1871 et Can. 1061 § 1) quaeque semper scripto et quandoque etiam jure jurando roboratae, signantur. Cautionibus istis tuentur sive partis catholicae libertas propriam religionem exercendi atque colendi, sive universa proles masculini vel feminini sexus ex coniugio forte nascitura catholice baptizanda atque educanda. Praecipitur quidem ab Ecclesia, ut cautiones sincere et ex animo praestentur, attamen si obligatio hisce cautionibus ficte assumpta non adimpletur, contractus matrimonialis validitas impingi nequit, ad instar deficientis condicionis, uti perbelle docet Wernz (*Jus Decret.* IV, 187) Sed pars catholica, experientia ducta, videns cautiones datas aliquando actu non servari a parte acatholica, exigere aliquando vult, ut altera pars sincere et ex animo promittat, cautiones praestitas observatum iri. Hoc in casu nupturiens catholicus aliquid aliud ex suo legi addit, ut promissis stetur. Haec viget differentia legem inter et hanc voluntatem partis catholicae, dum etenim lex non attendit ad sinceritatem promissionis sub poena invaliditatis futuri coniugii, pars catholica e contra vult et exigit sinceritatem promissionis, ita ut si pars acatholica sincere promittat, contractus matrimonialis valeat, secus irritus sit. « Promissio autem est actus voluntatis quo quis ad aliquid faciendi omittendive se obligat. Ubi talis voluntas deficit (et deficit certo in eo qui simulate agit), promissio non habetur neque propterea moralis quae promissionem conquitur » (Cfr. *Bruklynen* coram Felici, diei 4 Aprilis 1951, N. 6-a). In eadem linea est sterilitas, quae lege non irritat nuptias, sed si sponsus dicat sponsae: « Tecum non contraho nisi capax sis prolem concipiendi

et generandi », nupturiens hic addit aliquod quod est ultra ac praeter legem, nempe capacitatem ex parte futurae uxoris prolem generandi.

4. Aliquando tamen cautiones hae a lege impositae, etsi ab agente fuerint insertae, non faciunt actum condicionatum, et habentur loco monitionis, potiusquam individuae condicionis; proinde actum nullum non reddunt, nisi tanquam verae condiciones sine quibus non, appositae fuerint, de quarum appositione evidenter constet, uti traditur in una *Romana* coram Grazioli diei 4 Augusti 1924, (Vol. XVI, Dec. XXXV, pag. 304, N. 2). Il quoque confirmatur in eadem causa coram Massimi (*Romana*, die 12 Junii 1928; Vol. XX, Dec. XXV, pag. 240); etenim probationes, seriae interrogationes compartis, protestationes matrimonium celebratum non iri, nisi compars promissionem quandam praestet sunt aequivocae. « Oportet, proinde, ut catholicus nupturiens alteri parti dixerit aut praestandam esse promissionem aut matrimonium celebratum non iri » - « Ut igitur, - ibidem legitur - matrimonii mixti nullitas evincatur propter fraudem a parte acatholica illatam parti catholicae, oportet ut probetur hanc (partem catholicam) matrimonio veram apposuisse condicionem » (Ibidem pag. 239, n. 2).

5. Quam maxime vero differunt causa, modus ac postulatum a condicione, nam causa, modus et postulatum, uti omnibus notum est, consensum matrimonialem non ingrediuntur. Ad distinguendam condicionem a causa, modo et postulato recurrendum est in concreto ad quaedam criteria a forensi jurisprudentia tradita ac illustrata. Primum criterium est voluntas eius qui dicitur apposuisse condicionem (Cfr. unam coram *Jullien;* Vol. XX, dec. LII, pag. 452-53, nn. 3-4); insuper momentum seu pretium quod pro parte catholica circumstatiam habet, quae tanquam condicio apponi dicitur. Aliud criterium secundarium est condicionis iteratio, quae prodit vigorem vel intensitatem voluntatis. Eminet quoque inter criteria modus, quo coniux se gessit, ubi primum animadverterit condicionem non fuisse purificatam.

6. Aliquid est dicendum de condicionibus, quae nuncupantur potestativae, quarum verificatio a voluntate compartis pendet. Hae condiciones objective respiciunt factum futurum, ac naturam induunt condicionum de futuro, et validitas contractus matrimonialis suspenditur ad tempus indeterminatum, quod in matrimonio omnino absonum deprehenditur, siquidem minime praesumi debet nupturientem voluisse, ut validitas coniugii suspenderetur ad incertum ac indeterminatum tempus ac veluti ad libitum alterius partis. Potius naturae matrimonii conformius videtur, ut attendatur factum praesens, seu sincera vel ficta promissio partis, a cuius facultate pendet condicionis verificatio, seu haec pars tempore initi

matrimonii ita ec animo comparata erat, ut datam fidem exsecutioni demandare nollet, ac proinde ficte et insincere promissionem praestitit. Attenditur actualis, seu tempore nuptiarum, sincera vel ficta promissio et hoc modo condicio formam induit de praesenti.

7. Quare ut condicio haec irritet matrimonium, tria sunt attento studio cribranda: 1) ut nupturiens vera condicione sine qua non suum alligaverit consensum alicui qualitati vel promissioni; 2) ut condicio ante nuptias non fuerit revocata; 3) ut ipsa condicio non fuerit verificata.

8. *In Facto* - Momentosa et gravis procul dubio est praesens causa, cuius caput nullitatis rarissime recurrit, quapropter circumspecto gradu criticique judicii acumine partium testiumque declarationes, seriesque factorum rimandae ac cribrandae sunt. Silvestra Falow, eximiis pietatis ac morum qualitatibus ornata, a parentibus erga catholicam fidem bene meritis, dedicerat societatem atque conversationem juvenum sectis acatolicis adhaerentium devitare atque aufugere quam maxime. Sub hac religionis disciplina adulta, puella in animo et corde matrimonia mixta odio habebat eisque adversabatur. In hac animi dispositione autumno anni 1936 eidem occurrit Henricus Binz, juvenis protestanticus, utpote adhaerens sectae episcopalianae, qui modo ses gerendi ac loquendi Silvestrae placuit. Inter duos occursus non fuerunt assidui, cum in dissito loco juvenes commorarentur. Ante mensem januarium anno 1939 ipsa candide ac sincere professa est juveni sese esse catholicam ac profunde catholicam. Quaesivit Henricus Binz quid praestare deberet vir sicut ipse ut posset cum muliere catholica matrimonium inire. Eumdem edocuit Silvestra cautiones quas Ecclesia Catholica requirit pro matrimoniis mixtis. Conloquia haec frequentia fuerunt sive de religione sive de cautionibus praefatis. Cum vero mense januario anno 1939 vir puellae condicionem sponsaliciam proposuisset, Silvestra distulit responsum favorabile dare antequam decem instructiones de catholica religione ipse audiverit, atque fundata dederit signa benevoli animi erga religionem catholicam, ac paratus fuerit cautiones ab Ecclesia statutas subsignare. Ille spopondit. Silvestra eum adduxit ad quemdam presbyterum degentem in loco la Fayette. Actricis parentes edocti de propositione ab Henrico facta, suam pendiderunt contrarietatem, atque filiam monuerunt ne nuptias cum Henrico contraheret.

9. Usque adhuc Silvestra nullam pandidit condicionem, sed tantummodo expressit postulata sub quibus ipsa parata erat inire sponsalia. Vir igitur in doctrina catholica se instrui sivit, Ecclesiam cum Silvestra ac eiusdem parentibus frequentare, Missae sacrificio adstare, signo Crucis frontem signare, aquam benedictam digitis sumere, genuflectere ac quoddam sacrum numisma deferre. Hisce

externis signis, quibus vir ostendere nisus est, se catholicae doctrinae ac pietatis operibus favere, adlecti parentes ab oppositione recesserunt, retinueruntque eum sincerum, probum honestumque. Henricus, mense aprili eiusdem anni, suam sponsaliciam propositionem denuo pandidit puellae ducendi eamdem in uxorem. Hac vice tum Silvestra tum eiusdem parentes acceptarunt, tamen statim ea non omisit aperte clareque juveni declarare « che non lo avrei sposato a meno che non potessi far battezzare i miei figli e farli educare nella fede cattolica, e che egli stesso non fosse sincero nella sua fede nella dottrina della chiesa cattolica e non mi permettesse liberamente la religione cattolica ». Et explicat sensum verborum » io volevo che lui fosse sincero nella dottrina della Chiesa Cattolica » dicens: Intesi dire, che mi consideravo cattolica abbastanza buona da non contentarmi della firma meccanica delle promesse; io volevo sapere che lui stesso credesse nella dottrina della Chiesa Cattolica e condividesse la mia fede ». Hisce verbis voluitne veram condicionem exprimere?

Verbo technico condicionis non est usa Silvestra, sed condicio exprimi solet « per particulas si, dummodo, modo et interdum ablativo absoluto » (Gasparri, *Tractatus Canonicus de Matrimonio*, Vol. I, pag. 56, Art. III, § I ed. 1937). Ad alia judicis quaesita postea utitur actrix verbo condicionis. Insuper « inspicienda magis est substantia dispositionis et mens disponentis, quam cortex verborum » (*S. R. Rota*, dec. 161, N. 6-8, pag. XIX, Tom. I, *Recent.*) In statuendo id quod condicioni subsit, « non verbis, sed voluntati contrahentium est attendendum, quid scilicet praesumendum sit partem voluisse per verba adhibita, inquiri debet » (cfr. unam coram Canestri, Vol. XXX, Dec. XX, pag. 187, n. 2, anno 1938).

10. Explorandum est quid condicioni subesse voluit actrix. Ex actis evidenter liquet, Silvestram condicionatum consensum praebuisse, ut juvenis Henricus favorabilem sensum foveret erga doctrinam Ecclesiamque Catholicam, ut ipsa plena gauderet libertate exercendi suam fidem per opera pietatis, et tandem ut nascitura proles universa catholice baptizaretur et educaretur. Duo igitur de suo exegit: primum, ut sponsus favorabilem sensum erga religionem catholicam eiusque Ecclesiam nutriret ac foveret. Mens et voluntas Silvestrae fuit, uti liquido ex tabulis processualibus patet, non formalem conversionem Henrici ad ecclesiam catholicam per abjurationem ab episcopaliana secta, id ipsa numquam quaesivit, uti conventus apprime confitetur. Et in hoc puella aliquid exegerat, quod est praeter cautiones a lege statutas. Catholico coniugi injungit lex Ecclesiae ut prudenter curet alterius partis acatholicae conversionem, tamen haec prudens actio partis catholicae evolvitur praesertim durante vita coniugali. Intendit quidem sponsa, ut futurus ma-

ritus doctrinae Ecclesiaeque catholicae hostilis non foret, ut ipse cum eadem frui posset gaudiis fidei catholicae: « Io ero convinta che non sarei stata felice con lui a meno che non credesse e non condividesse come me le gioie della Chiesa Cattolica ». Ipsa etenim existimabat id consequi posse absque formali ingressu Henrici in sinum Ecclesiae, abjurato errore. Plures etenim protestantici viri benevolos sese praebent erga catholicam religionem, eiusdem operibus pietatis et cultus faventes oblatis pecuniis, et aliquando praediis, ut frequens experientia docet et diurnaria folia referre solent. Id quoque eruitur ex responsione ab actrice data in secundo suo examine, in quo sciscitata fuit a judice an sciret quemcumque, qui fidei catholicae assensum praestat, obligatione teneri sese ad Christi doctrinam convertendi (« farsi cattolico »). Se id tunc ignorasse respondit, et tantummodo recenter de re certior facta est. Hac in re errare potuit, sed eiusdem mens ac voluntas est attendenda ac ponderanda.

II. Secundum: Aliud quod condicioni subiecit Silvestra fuit promissio et quidem sincera et ex animo facta cautiones ab Ecclesiae lege statutas adimpletum iri. In mixtis nuptiis inter partem catholicam et partem acatholicam baptizatam lex jubet, ut cautiones a parte acatholica signentur et quidem sincero animo, tamen, diversimode ac in mixtis nuptiis propter cultus disparitatem (confer unam coram Brennan, *Albanen. in America*, diei 25 Januarii 1948 et alteram coram Felici, *Bruklynen.* diei 4 Aprilis 1951), si fictae cautiones praestentur, dispensatio super impedimento mixtae religionis est irrita quidem, at nuptiae non irritantur. Exegit igitur Silvestra, ut si sponsus promissioni defecerit, seu quod idem est, si viri mens in actu celebrationis ea fuerit, cautionibus legis se non fore statisfacturum, matrimonium suo careret valore. Actu hoc voluntatis suae, mulier dispositioni legis aliud adiecit, ut nuptiae irritae ac invalidae forent. Et hoc est discrimen inter dispositionem legis et suam voluntatem, uti in expositione juris adnotatum est; iuxta legem validae sunt nuptiae etiamsi fictae cautiones praestitae sint; e contra iuxta voluntatem actricis, eaedem non valent, si sponsus ficte promiserit. Nam ipsa exegerat non simplicem seu anagraphicam cautionum subsignationem, sed sinceram et ex animo factam promissionem.

12. Hanc condicionem ultra et praeter legem (« oltre e al disopra delle condizioni imposte dalla Chiesa ») non semel sponso clare atque aperte declaravit, sed pluries id ipsa praestitit post datam favorabilem responsionem proposito a juvene pandito eam in uxorem ducendi. Condicionem renovavit occasione traditionis annuli sponsalitii, coramque testibus, praesente sponso, pandidit iterum etc. (*omissis*). Sciscitata curnam tot vicibus suas condiciones

pandiderit, respondit, se in hac re severissimam esse ac fuisse (« tanto scrupolosa »).

13. Momentum seu pretium suae decisae voluntatis fuit eius amor flagrans erga realigionem: « Benchè fossi innamorata di lui, tenevo per principio che nessuno prendesse la precedenza sul mio amore per la mia Chiesa ». Et ex religioso momento profluit ardens desiderium fruendi plena libertate religionis cultum colendi, pietatis opera exercendi ac nascituram prolem catholice baptizandi et educandi. Animadvertebat etenim haec omnia difficulter obtineri posse, si vir benignos ac favorabiles sensus in doctrinam ac ecclesiam catholicam non foveret; proinde ipsa exegit, ut Henricus favorabiliter sentiret erga Christi doctrinam.

14. Etsi actrix sibi fidem conciliet ob suam pietatem, honestos mores, bonumque credibilitatis documentum, tamen et altera pars est audienda. Henricus Binz, nuptiarum tempore inter membra « State Legislature » civitatis N. cooptatus, nunc autem theatri cuiusdam moderatione potitus, ab adulescentia in secta protestantica episcopaliana religiosam educationem receperat. Adversatum se dixit catholicae Ecclesiae in iis in quibus sua secta discrepabat. In pluribus conloquiis institutis cum Silvestra ante sponsalia, haec acriter contedebat, ut proles nascitura catholice baptizaretur et educaretur, ut ipsa plena gauderet libertate suam colendi religionem, et ut ipse catholicae faveret Ecclesiae. (*Omissis*) Cohaeret conventus igitur assertis ab actrice suum consensum alligante promissioni dandi uxori libertatem cultum suae religionis exercendi ac prolem catholice baptizandi ac educandi, necnon ut ipse favorabilem sensum foveret erga Fidem Catholicam (« favorevole atteggiamento »). Has condiciones Silvestra repetivit pluries ac praesetim tempore subsignationis cautionum. Jam conventus in processu civili inito duobus annis ante praesentem actionem loquutus est de pacto inter sponsos statuto non interferendi in rebus religiosis alterutrius. Licet loqui non possumus de vero ac proprio pacto, tamen coniicitur qualem fuisse Silvestrae voluntatem exercendi libere religionem et pietatis opera. (*Omissis*).

20. Gravioris momenti difficultas eruitur ex declaratione actricis, corroborata a compluribus testibus, cum indubie scateat eam certam fuisse de sinceritate promissionum ex parte conventi, unde condicionis appositio evanescit omnino, nam ubi adest certitudo, nulla condicionis appositio concipitur. Ad solvendam hanc difficultatem ratio temporis est habenda et recolenda est doctrina tradita a Commissione Cardinalitia in Causa Versaliensi diei 12 Augusti 1918. Silvestra non statim ac vir matrimonialem propositionem pandiderat, certa evasit de juvenis sinceritate et ipsa distinguit tempus in quo condiciones suas manifestavit, a tempore matrimonii:

« Al tempo che posi le condizioni avevo timore. Ma al tempo del matrimonio non aveva alcun timore ». De hoc timore loquuta est tum in libello introductorio, tum in prima instantia tum in tertia instantia. In libello etenim legitur eam posuisse condiciones « dato il timore che aveva dei pericoli di un matrimonio misto ». Et coram judice Detroitensi idem repetit aliis verbis: « Io non ebbi nulla più che il sospetto generale che una ragazza cattolica ha nel contrario un matrimonio misto ». Et in tertia instantia dat rationes sui immensi timoris. Nam in suo parvo appido viderat gravia mala ex mixtis nuptiis profluentia: mulieribus denegabatur a maritis libertas ecclesiam adeundi et Missae sacrificio assistendi; pueris ex hisce nuptiis ortis saepe baptismus non conferrebatur in Ecclesia Catholica. Hisce malis Silvestra impulsa, exegit a suo sponso aliquid praeter cautiones a lege statutas, seu ut is sincere promitteret, se datas cautiones exsecuturum fore. In condicionibus potestativis inest necessario aliqua incertitudo, ac proinde quis apponendo condicionem intendit se tueri ab incerto periculo (Cfr. Vol. XXVI, Dec. LXIX, pag. 582 n. 4). Agitur etenim de re quae facile non exploratur. Insuper in praefata Causa Versaliensi traditur principium: « Nec conditio cessat ex eo quod ex falsa viri asseveratione (mulier) acquisiverit certitudinem eumdem promissioni staturum, nam mulier condicionem apposuit ante viri asseverationem, ideoque ante acquisitam certitudinem, quia subsequens certitudo nullo modo destruit condicionem antea positam, sed consensus eidem subordinatus manet, non obstante subsequenti certitudine, quae esse simul potest cum virtuali voluntate condicionata ».

21. Modus quo se gessit Silvestra statim ac vidit promissionem non esse servatam, roborat eam intendisse suo consensui matrimoniali veram condicionem, non vero mere interpretativam, alligare. Nam ipsa a viro discessit, lacrimans, post tres menses a nuptiis transactos, et nitente marito eam ad se reducere, omnino renuit, uti mox sermo redibit.

22. Positam a se condicionem actrix numquam revocavit, immo eamdem renovavit saepius, ut ipsa ac plures testes recinunt. (*Omissis*).

23. Quod conventus ficte promiserit, universae processuales paginae invicte proclamant. Ipse apertissime testatur, se fictam fecisse promissionem cum animo et Silvestram et eiusdem parentes decipiendi. Nam loco decem instructionum de catholica doctrina unam dumtaxat sumpsit. Dum Missae Sacrificio adstabat, dum cetera pietatis signa dabat, se signando signo Crucis, genuflectendo, in suo animo ira et repulsione fredebat. Immo spem fovebat fore, ut, suis suasionibus, Silvestram ad sectam protestanticam perducturus foret. Jam Binz in pervigilio nuptiarum ab iisdem recedere vo-

lebat, ne promissa adimpleret. Sui animi statum pandidit amico Haroldo B. J., qui rettulit: « La sera prima del matrimonio all'Hotel di N. egli mi parlò per circa mezz'ora sulla questione se avrebbe potuto mantenere le promesse. Pensava quasi di ritirarsi a quel tempo ma finalmente si decise di andare avanti per risparmiare l'imabarazzo agli ospiti, alla famiglia ed a Silvestra. Il mantenimento delle promesse lo inquietava, ma si decise a contrarre il matrimonio con il pensiero che avrebbe potuto sempre disfarsene ». Addit testis conventum ita se gessisse, ut puellam deciperet. Causa, propter quam vir simulavit, ponenda est in amore, quo erga puellam ferebatur, qui amor, iuxta nonnullos testes, ultimis sponsalium temporibus, deferbuit in eiusdem corde.

24. Vix celebratis nuptiis exarsit inter coniuges discidium propter nimis parvam mercedem, quam sacerdoti nuptiis ipsis benedicenti vir tradiderat, declarans sacerdotes catholicos a se nihil amplius esse accepturos. In ipso itinere voluptuario maritus fastidire incepit, quod uxor Crucis signum coram perfecit, quod ipsa domi oraret, et impedivit, quominus uxor auditioni Missae adstaret. Immo declaravit, se prolem forte natam catholice non fore baptizaturum et educaturum. Res indubie quoque liquet ex processu civili de divortio, in quo causa discidiorum unice fuit religiosa quaestio. Mulier in modo sese gerendi mariti, perspiciens grave periculum suae religioni, primum consilium expetiit a suo parocho, quid in hisce circumstantiis perficere deberet, ac dein visa vana omni industria, virum reliquit definitive non amplius reversura. Conante autem marito ad se uxorem reducere, in sua recusatione firmiter perseveravit, videns se fuisse ab eodem graviter deceptam. Has circumstantias omnes referunt testes, quorum testimonia opus non est recolere. Quam ob rem tenuerunt Patres, toto causae complexu diligenter rimato, actricem veram condicionem sui consensus matrimonialis validitati apposuisse, quae verificata non fuit.

Romae, die 19 Februarii 1952, in sede Tribunalis S. R. Rotae.

MATRITEN.

Separationis

Sententia definitiva d. 28 mai 1952

c. R. P. D. Pericle Felici, Ponente.

In Iure (omissis)... Quaeritur hic pressius an admitti possit caput separationis plenae ab appellatis Patribus admissum: an scilicet concedi possit a iudice separatio plena ad instantiam mulieris adversus virum imprudenter et socordius copulam coniugalem peten-

tis et peragentis, quando ex tali copula praevidetur mulier parere non posse absque propriae vitae vel valetudinis periculo gravi.

Porro causa huiusmodi non recensetur a can. 1135 § 1 inter causas propter quas concedi possit separatio plena: at non idcirco a nostro legislatore sic et simpliciter repudiari dicenda est, sive quia de periculo corporis in citato canone sermo est, sive quia illa verba quibus causarum elenchus clauditur, scilicet: *aliaque id genus*, alias quoque causas praeter recensitas supponunt et suggerunt. Attamen si legislatoris mentem perscrutamur, qui totus est in tutando coniugali convictu, sine quo pleraque matrimonialia bona obtineri non possunt, concludere sane debemus non esse facile alias praeter recensitas causas admittendas et difficile alias causas haberi quae ad recensitas non sint aliquo modo reducendae. Atque in primis cavendum est ne separatio plena concedatur ubi incommodum vel periculum, ob quod ea petitur, aliis utique modis vitari possit, integris illis bonis, quae coniugalis convictus, prouti diximus, sarcta tectaque servare natus est. Id plane docemur a doctoribus qui perpendentes corporis periculum tamquam causam separationis, ita mentem suam explicant ut separatio plena tunc tantum concedenda sit cum grave periculum ex ipso coniugali convictu, et non solum ex copula coniugali timendum sit. Plures auctoritates congessit laudabiliter Promotor Iustitiae de hac re, quae ceterum est compertissima et difficultatibus vix obnoxia: conferantur nihilominus: S Thomas et Scotus in *IV Sent.*, dist. 32: Sanchez, *De matrim.*, lib. 9, disp. 24, n. 17; Navarrus, *Manual.* cap. 10, n. 23; Barbosa, Pirhing, Reiffenstuel et Engel in lib. *IV Decret.*, tit. 8 *de coniugio leprosorum;* Ferraris, Biblioth., v. *Divortium*, n. 33.

Quid igitur iuris si periculum matri obveniat tantum ex partu? Quamvis tale periculum simile dici possit cum Sanchez periculo quod ex leproso vel infectiva aegritudine gravato mulieri obveniat, non est tamen idem: illud namque non tam ex coitu, opera scilicet viri, quae effectu praegnationis carere potest, contingit, sed potius opera naturae foecundationem et praegnationem ad suum exitum deducentis. Ex alia parte cum sit coitus actus ille coniugalis ad quem ordinatur matrimonialis contractus, nequit periculum quod inde resultet aequiparari plene periculo quod sit ex morbo contagioso, culpa plerumque viri et inscia prorsus uxore contracto.

Utcumque ad quaestionem quid iuris competat uxori, quae serio timet ne parere possit absque propriae vitae vel valetudinis periculo, respondet Sanchez et cum eo plures, inter veteres et inter nostros, mulierem non teneri debitum reddere et, si res ferat, tori urgere posse separationem: ulteriora doctores non examinant (cfr. Sanchez, *De matrimon.*, lib. 7, disp. 102, n. 9-10; Prummer, *Manuale Theologiae Moralis*, III, 682). At si contingat ut huiuscemodi

ius uxoris — debiti scilicet denegandi — vir probe noscat et nihilominus contra uxoris voluntatem illud conculcet, exigendo debitum eo quidem tempore quo praegnatio, ideo et periculum corporis uxoris probabile existat: nullum profecto dubium est quin recurrendum sit ad illas crudeles tractationes et vexationes, quae in muliere producunt metum gravem, et ideo causa sunt — iuxta iurisprudentiam communem praesensque ius canonicum — cur plena concedatur separatio adversus virum (cfr. l. *Consensu* 8, § 2, C., De repud.: Nov. 22, cap. 15 ENGEL, l. 4 Decretal., tit. 19, no. 23; REIFFENSTEUL, l. 4 Decretal., tit. 19, n. 31; SANCHEZ, *De matrim.*, l. 10, disp. 18, n. 6; BOSCO, *De matrim.*, disp. 12, sect. 16, concl. 13, a n. 446; LAYMANN, Lib. V, tract. 10, part. 3, cap. 7, n. 16; FERRARIS, Biblioth., v. *Divortium* n. 29 etc.).

Verum tamen ut vir dicatur inducere iniuste periculum corporis uxoris et ideo in eam saevire, copula coniugali imposita, haec duo constare debent: 1) ut ex futura praegnatione periculum vere grave uxoris praevideatur: 2) ut vir ita se gerat ut, periculum probe sciens, illud admittere contra uxoris voluntatem non vereatur.

Quandonam ex praegnatione periculum vere grave mulieri exsurgat deducendum est, si non unice (ceu tuetur Promotor Iustitiae haud spernendis rationibus), praecipue saltem ex peritorum iudiciis (cfr. ZACCHIAS, *Quaestiones medico-legales*, lib. 7, tit. 3 *de debito coniugali*): qui si omnibus perpensis concludant in futuro partu, etsi in prioribus adfuerit, nullum grave periculum uxori adfuturum, idque affirment medicae quoque scientiae profectu considerato, vix erit cur iudex ab ipsorum discedat sententia.

Praeterea periculo per medicos admisso, ut vir dicatur iniuste agere erga uxorem, oportet demonstrare ex praecedentibus et praesentibus viri dispositionibus probabilem haberi timorem ne vir exigiturus sit concubitum tempore quo facile praevidetur praegnatio et ideo valetudinis periculum grave. Quod si quis dicat citra dolum vel gravem culpam posse virum, sua ipsius conscupiscentia, ad coitum adduci et ideo, ob imprudentiam gravem, periculum uxori afferre, respondemus succurrere his in casibus tum auxilium gratiae divinae, non defuturae coniugibus eam implorantibus, tum matrimonii usus tempore agenesiaco, quod appellant, quodque tutius in dies a medicis determinatur (cfr. Orationem S. P. Pii XII « *al Fronte della Famiglia* », 29 nov. 1951), tum denique ipsa separatio tori tempore quo maxime urget sexualis stimulus. Quae omnia cum praesto sint, nequeunt Iudices pronuntiare adversus virum separationem, nisi apprime constet eum esse media illa despecturum uxoremque suam non ut vitae sociam et suorum matrem natorum, sed potius ut caecae voluptatis instrumentum esse prosequuturum.

VERSALIEN.

Nullitatis matrimonii

Sententia definitiva d. 17 iulii 1952

c. R. P.D. Pericle Felici, Ponente.

In Iure - Statuit can. 1869 § 1 ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae requiri in animo iudicis moralem certitudinem circa rem sententia definiendam. Hanc profecto certitudinem iudex hauriet ex actis et probatis, probationes autem ex sua conscientia aestimabit, iuxta rescriptum *Hadriani* ad Valerium Verum: « ex sententia animi tui te aestimare oportere » (l. 3 § 2 D., 22, 5). Unde aiebat Reiffenstuel: « In discernendo quaenam probatio hic et nunc est plena et concludens, plurimum relinquendum arbitrio iudicis, et idem quod de testibus, dicendum de aliis probationibus, earumque valore et efficacia concludendi, prudentis iudicis arbitrio spectatis omnibus circumstantiis melius diudicandis » (*Ius can.* l. II, tit. 10, n. 60). Verum tamen « inde nequaquam concludi potest — subdit Wernz-Vidal — illam aestimationem iudicis nullis esse circumscriptam limitibus, nullis conclusam regulis; nam in primis can. 1896 exceptionem ponit de casu, quo lex aliquid expresse statuat de efficacia alicuius probationis et de facto can. 1791 cavet de efficacia probationis per testes in determinatis causis. Deinde iudex conscientiam et persuasionem moralem sibi efformare debet non arbitraria ratione et sine certis principiis et regulis..... Inde deducitur regulas passim traditas a classicis commentatoribus iuris Decretalium, quoad maximam partem decisionibus pontificiis firmatae, suum habere valorem ad conscientiam et persuasionem iudicis efformandam, quem utique praeterea exercitium iuridictionis iudicialis magis illustrabit » (*Ius can.* VI, n. 482). Unde Codex noster eas praebet normas quas iudex in aestimandis testimoniis ante oculos habeat, (can. 1789, quo substantialiter repetitur doctrina *Callistrati* in l. 3 D. 22, 5) et praesertim quoad numerum testium adhibendorum haec can 1791 praecipit: « § 1 — Unius testis depositio plenam fidem non facit, nisi sit testis qualificatus qui deponat de rebus ex officio gestis;. § 2 - Si sub iuramenti fide duae vel tres personae, omni exceptione maiores, sibi firmiter cohaerentes, de aliqua re vel facto in iudicio testificentur de scientia propria, sufficiens probatio habetur: nisi in aliqua causa iudex ob maximam negotii gravitatem vel ob indicia quae aliquod dubium de veritate rei assertae ingerunt, necessariam censeat pleniorem probationem ». Quoad primam huius canonis paragraphum Codex repetit sanctionem imperatoris *Constantini* relatam in l. 9 § 1 C., 4, 20 atque item doctrinam *Pauli* in l. 20 D. 48, 18: quod ad alteram paragraphum non

ita ea interpretanda est ut, nisi duo numero testes de scientia directa habeantur, nullis aliis possit assertum demonstrari argumentis: si ita esset nimio formalismo, contra Codicis mentem, coarctaretur potestas illa iudicis circa probationes suo arbitrio aestimandas atque reincideretur in vitium quorundam iuristarum mediae aetatis, quos Wernz vocat *de trivio* quique maxime insistebant in arithmetico computu testium.

Huc vere faciunt verba sapientissima Summi Pontificis gloriose regnantis: « La coscienziosa osservanza di tali norme (i. e. probationum) è un dovere del giudice: ma, d'altra parte, nella loro applicazione egli ha da tener presente che non sono fine a se stesse, bensì mezzi al fine, vale a dire per procurare ed assicurare una certezza morale oggettivamente fondata circa la realtà del fatto... Di qui voi vedete perchè nella moderna procedura giudiziaria, anche ecclesiastica, non sia posto in prima linea il principio del formalismo giuridico, ma la massima del libero apprezzamento delle prove. Il giudice deve — senza pregiudizio delle menzionate prescrizioni processuali — decidere secondo la propria scienza e coscienza, se le prove addotte e la richiesta ordinata sono o no sufficienti, bastevoli cioè alla necessaria certezza morale circa la verità e la realtà del caso da giudicare » (*Allocutio ad S. R. Rotam* d. 1 octobris 1942). Porro sine praeiudicio can. 1791 § 2 iudex certitudinem moralem alicuius asserti obtinere poterit ex uno tantum teste exceptione maiore et de scientia, cuius depositio univoce aliis argumentis comprobetur, ut ecce peculiari fide partium, ut confessionibus testium de auditu tempore insuspecto, ut factis quibusdam et adiunctis quae negari haud possunt: « Non enim multitudinem respici oportet — aiebat *Arcadius* — sed ad sinceram testimoniorum fiem, et testimonia quibus lux veritatis adsistit » (l. 21 § 3, D. 22, 5). Quae etiam veritas resultat aliquando ex multis indiciis et probationibus, quae sumpta seorsim certitudinem vix ingerunt, at unita maxime iuvant. Unde « se nella motivazione della sentenza il giudice afferma che le prove addotte, considerate separatamente, non possono dirsi sufficienti, ma prese unitamente e come abbracciate con un solo sguardo offrono gli elementi necessari per addivenire ad un sicuro giudizio definitivo, si deve riconoscere che tale argomentazione in linea di massima è giusta e legittima » (Pius PP. XII in citata Allocutione).

(*Omissis*).

In Facto - (*omissis*) Ergo etsi testis de scientia unus tantum habeatur, perspecto tamen quod: 1) huiusmodi testis sit magna fide dignus et maxime atque univoce adiuvetur a testibus de auditu, qui ob tempus insuspectum auditus et ob fidem quam sive

ex persona sive ex adiunctis merentur, optime sufficiunt testes de scientia de quibus in can. 1791: 2) pars actrix maxima laude ornetur dicaturque optimi exempli a viris in ampla ecclesiastica dignitate positis: 3) vir ipse conventus (qui metum incussit actrici), etsi maximum commodum inde reportaret coactionem ab actrice assertam excludere aperte ausus non sit: 4) multa cuncurrant pro thesi actrice postmatrimonialia adiuncta: moralis certitudo habetur coactionem per actricem accusatam, scilicet gravem et iniustam, quae matrimonium dirimat, veritati omnino respondere.

(*Omissis*).

DECRETUM IN QUAESTIONE INCIDENTALI.

c. R. P. D. Petro Mattioli, Ponente.

Anno Domini 1949, die 3 decembris, hora decima, de mane, legitime instimata, infrascripti Patres Auditores de turno, in sede H. S. T. rite coadunati:

In causa *Nullitatis matrimonii*, inter d.num Marium, actorem, repraesentatum per adv. Carolum, et d.nam Mariam, ream conventam, reprasentatam per adv. Joannem:

In quaestione incidenti exorta eo quod Tribunal primae instantiae, pendente penes ipsum praedicta causa, admisisset, post evulgata instructionis testimonia, *inaudita altera parte*, novas ab actore petitas probationes:

Auditis praeclaris utriusque Partis Patronis hinc inde disceptantibus:

Auditis etiam Rev.mo D. Ioanne Pendola, Promotore Iustitiae et Rev.mo D. Iosepho Stella, vinculi Defensore:

Peractis ex officio inquisitionibus atque interrogationibus, quae necessaria vel opportuna visa sunt:

Haec quae sequuntur exponenda atque animadvertenda tenuerunt:

Status quaestionis.

Per libellum diei 14 februarii 1946, Marius, ab adv. Iosepho tunc defensus, apud Tribunal nullitatis, ob vim et metum ipsi a patre incussum, accusavit matrimonium, quod cum Maria contraxerat die 22 aprilis 1934.

Causae instructio, in qua Conventa, cum patrocinio adv. Joannis, praetensis viri, per suos testes, firmiter restitit, primi anni 1947 mensibus completa fuit: cumque Partes, ac testes ab eis inducti, auditi fuissent, testimonia publici iuris, decreto Instructoris diei 4 matrii 1947, facta sunt, ac utriusque patrono — ut moris est —

actorum exemplar, Cancellariae Tribunalis cura confectum, missum est. Quod contigit die 15 eiusdem.

Die Paschatis, 6 aprilis, i. e. transactis circiter viginti diebus, mira atque laudanda sollicitudine, Conventae Patronus restrictum pro sua cliente redegit.

Siluit, e contra, per menses, advocatus actoris.

Tandem, die 1 iulii 1947, actor novum patrocinii mandatum pro adv. Iesulado redegit, eumdemque, simul cum praefato, patronum suae causae constituit.

Postea, die 14 iulii 1947 — ut asseritur — a Patronis actoris conficitur instantia, qua ut admittantur aliquae novae probationes, ab iis propositae, qauesitum fuit.

Quaerebatur per hanc instantiam:

a) ut Conventa invitaretur ad exhibendum documenta illa quae, secundum conventae eiusdem, ac eius patris, placita, probavissent ipsos testes ab actore in iudicio inductos plenam scientiam habere de eius libero, in contrahendo, consensu: ex quo, ut patet, proflueret mala fides actoris ac falsitas testimoniorum eius assumptum confirmantium;

b) ut quidam advocatus citaretur ad deponendum super iniquis quibusdam, quae asseruntur, pactionibus a patre Conventae propositis et sub conditione sine qua non oblatis, ad hoc ut conventa assumeret in causa positionem favorabilem pro thesi mariti;

c) ut audirentur *quidam Actoris familiares*, eousque non auditi, *qua de causa non exprimitur*, circa minas qui Actorem adegissent ad consensum promendum;

d) ut expostularetur a domnula Magdalena, defamulatu domus Actoris, an verum sit quod ipsa, simul cum d.no Marco, concurrerit ad arma quaedam auferenda de manibus patris actoris, quibus ille occidere minabatur filium, impositas nuptias adbhorrentem, ac dein seipsum.

Instantiae huiusmodi, Iudex auditor seu instructor nullo modo satisfaciendum curavit, in spretum praescripti art. 188, § 1 Instructionis « *Provida Mater* », *ipsi bene noti;* quin imo, die 31 iulii 1947, datum est decretum conclusionis in causa, quo definitur causa sat instructa, ac praescribitur advocatis spatium triginta dierum pro defensionibus producendis.

Decreto huic, exceptionem nullam *valide* opposuerunt neque Defensor Vinculi, qui, ut ex actis, fidem perceptae notificationis dedit die 3 augusti 1947, neque Patronus Conventae, qui instantiam supplementum instructionis petentem prorsus tunc ignoravit, neque, et hoc summum est, Patroni actoris: quorum alter, i. e. d.nus Iesualdus re vera, intra impositos in decreto terminos, h. e.

die 20 augusti 1947, pro suo cliente confectum a se restrictum Cancellariae Tribunalis Capani exhibuit.

Sed, ecce nunc, die 9 septembris 1947, notificatur in formis Patronis utriusque partis instantia diei 14 iulii, additis adnotationibus Defensoris Vinculi, *additoque rescripto Iudicis Instructoris, quod ita sonat*: « *Iuxta preces. Die 3 augusti 1947. Salvator, Iudex auditor* ».

Contra hanc decisionem, advocatus Conventae recursum ad Collegium movit. Huius recursus libellus, die 19 conscriptus, ad domum privatam Rev. Caietani, notarii Tribunalis, solummodo die 21 eiusdem mensis, hora tertia post meridiem, de facto pervenit, ac mane diei 22 ad sedem Tribunalis.

Die 3 octobris 1947, Collegium decrevit recursum, quia datum Tribunali die 21 septembris (h. e. fatalibus praeterlapsis), omni vi carere, ac Partes acquievisse censeri decreto, ad normam art. 188, § 2, Instructionis *Provida Mater*.

Appellavit, tunc, conventae Patronus S. Rotam, et heic constitutus Turnus sequentia proposuit ac decisit:

I. An, post appellationes interpositas a parte Conventa ad S. Rotam adversus decreta Tribunalis primae instantiae, nempe diei 3 octobris 1947 ac diei 20 ianuarii 1948, suspensa maneat iurisdictio praedicti Tribunalis, attento praescripto can. 1569 et 1889 C. I .C., et requirenda sint omnia acta, etiam quoad causae meritum.

II. An appellatio partis Conventae adversus decretum Tribunalis diei 3 octobris 1947 sustineatur in casu;

III. An appellatio partis Conventae adversus decretum diei 20 ianuarii 1948 sustineatur in casu.

Decisio, quae praefatis quaestionibus data fuit, appellata est sive a Promotore Iustitiae (ob querelam, nempe, falsi quam turnus — eius iudicio — non satis attendisset), sive a Defensore Vinculi, sive a Patrono Conventae.

Igitur, hae, quae sequuntur, quaestiones hodie solvendae sunt:

I. An ius appellandi, ex parte Defensoris Vinculi, Reae Conventae, ac Promotoris Iustitiae, sustineatur in casu;

II. (*Omissis...*).

III. An eiusdem decreti — si umquam forte dati — validitas sustineatur in casu;

IV. An idem decretum, si forte validum, fuerit intra fatalia appellatum;

V. (*Omissis...*).

Ac de singulis aliquid.

I. *De iure appellandi.*

Cum super capite totius quaestionis, nempe: « *An decretum diei 3 augusti 1947 fuerit intra terminos appellatum* », duplex iam decisio conformis prodierit, h. e. illa Tribunalis primae inst., diei 3 octobris 1947, illaque praeced. Truni Rotalis, diei 6 novembris 1948, merito, vi can. 1880 n. 4, dubitari poterat de iure appellandi ex parte Defensoris Vinculi et Conventae.

Melior Promotoris Iustitiae condicio videbatur; at cum, ut ex dicendis patebit, eius appellatio pro invalida (sicut et ceterae) haberi debeat, adhuc dubium exsurgebat de competentia, seu iurisdictione praesentis turni ad videndum de merito incidentis.

Sed optime rei providit sollers Promotor Iustitiae, humillime statum quaestionis Beatissimo Patri exponendum curans, ab Eoque implorans ut iurisdictio praesentis turni, de plenitudine apostolicae auctoritatis, firmaretur. Cuius precibus adhaesit Defensor Vinculi ac Patronus Conventae. Ss.mus autem Dominus Noster Pius PP. XII, in audientia diei 12 augusti curr. anni plene, per Exc.mum Decanum N. S. O. informatus, sequentes gratias benigne elargiri dignatus est:

1) Ut turnus rotalis coram R. P. D. Mattioli possit dirimere incidentem causam de qua in precibus;

2) (*Omissis...*).

Quibus attentis, nullum adhuc legitimum dubium superest de iure ac officio praesentis turni videndi meritum incidentis, minime obstante re iudicata aut appellationibus forte nullis.

II. (*Omissis...*).

III. *De validitate decreti diei 3 augusti 1915.*

Cum nonnullas iuris, quoad haec, interpretationes, a praecedenti Turno datas, Patres Domini non acceptandas iudicaverint, opus atque onus iustitiae eisdem visum est super his aliquantum immorari atque accuratius disputare.

Et quidem: debetne decretum diei 3 aug. 1947 pro valido haberi?

Vi can. 1854, « attentatum est quidquid, lite pendent, aut altera pars adversus alteram, aut *ipse iudex adversus alterutram*, vel utramque partem, innovat, parte dissentiente et in eius praeiudicium; sive innovatio respiciat litis materiam... sive respiciat terminos partibus a iure vel a iudice assignatos ad ponendos certos actus iudiciales ».

Et canone insequenti haec sanctio promulgatur: « Attentata sunt ipso iure nulla ».

Age nunc: decretum diei 3 augusti 1947, inscia prorsus parte Conventa datum, circa preces Actoris eidem Conventae pariter ignotas, verum attentatum adversus Ream Conventam, ex parte Iudicis, constituisse, nemo negare potest. Siquidem, tali decreto, condiciones processuales radicitus innovatae ac mutatae fuerunt, ac certi termini, vi legum logicae, suppressi. Attendatur: decretum conclusionis in causa die 31 iulii iam pronunciatum fuerat, atque efficacia et effectus eiusmodi decreti ex auctoribus bene nota sunt. Inter alia, Patroni partium, per ipsum, de *plena* causa instructione certiores effecti et de *omnibus probationibus iam absolutis*, cathegorice iubentur, *intra certum temporis lapsum*, defensiones parare atque exhibere.

Quae omnia, sive a novis precibus actoris, sive a decreto eas exaudiente, penitus subvertuntur: ut quid, enim, Patronus Conventae informatur de *omnibus* probationibus iam adductis, si petitio actoris pro novis probationibus admittendis pendebat? Ut quid eidem termini peremptorii assignantur ad exhibendum restrictum pro sua cliente, si huiusmodi termini practice suppressi teneri debebant, donec novae probationes non fuerint collectae?

Igitur, decretum de quo agitur ex hoc capite iam nullum est.

Sed et vi praescripti a can. 1861, super quo et egregii appellati Patres disquisiverunt.

Praestat canonem heic ex integro referre:

§ 1. Post conclusionem in causa, novae probationes inhibentur, nisi agatur de causis, quae numquam transeunt in rem iudicatam, aut de documentis nunc primum repertis, aut de testibus, qui antea, ob legitimum impedimentum, tempore utili induci non potuerunt.

§ 2. Si novas probationes admittendas censeat, id decernat iudex, audita altera parte, cui tempus congruum concedat ut novas probationes cognoscere et se defendere possit: aliter iudicium nullius est momenti ».

Appellati Patres, super paragrapho altera praedicti canonis disserentes, edixerunt sanctionem nullitatis non se referre « *ad admittendas novas probationes, sed ad eas communicandas cum partibus in causa, ut se defendere possint* » (v. decret. appellat., n. 5).

At contra est, sit cum debita reverentia dictum, obvius sensus verborum canonis, praesertim illorum: « cui congruum tempus concedat ut novas probationes cognoscere ecc. »; nam, de quibus, quaerimus, novis probationibus heic sermo fit?

Evidenter, de his quae memorantur in contextu canonis, i. e. *de probationibus admittendis*. Etenim: « Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et *contextu* consideratam... » (can. 18).

Ultro concedimus, cum egregiis appellatis Patribus, quod «*iudicis est concedere aut decernere, etiam contradicente altera parte, utrum novae probationes admittendae sint* » (v. decret. appellat., loco cit.); at submisse observamus quod « *contradicente* » non idem est ac « *nesciente* »: ceterum, quomodo altera pars contradicere poterit, nisi *prius* informata sit? Et quis ei contestari poterit ius ad se opponendum etiam *admissioni* novarum, quae proponuntur, probationum?

Sed praescripta can. 1861 optimam etiam interpretationem recipiunt a contentis in can. 1786, quae referimus:

« Post evulgatas testificationes, testes iam auditi denuo super iisdem articulis ne interrogentur, *neque novi testes admittantur*, nisi caute et ex gravi ratione in causis quae numquam transeunt in rem iudicatam... et in quolibet casu:

a) omni fraudis et subordinationis periculo remoto,

b) *audita altera parte*,

c) et requisito voto... Defensoris vinculi...: quae omnia iudex decreto suo definiat ».

Clarius definiri non poterat iudicem decretum de *admittendis* probationibus novis emittere non debere *antequam* verificatas curaverit *tres* condiciones auditas.

In hanc interpretationem conveniunt optimae notae Auctores. Legitur, verbigr., in Roberti, *De processibus*, vol. II, n. 438:

« Ah has novas probationes introducendas, debet iudici exhiberi petitio iudicialis, qua pars determinat medium probationis, explicat rationem ob quam antea illud non adduxerit, et petit ut admittatur. *Iudex hanc petitionem denunciat alteri parti;* quae nisi refragetur, aut iudex oppositionem praetermittendam ducat, decreto probationem admittit et exequitur iuxta consuetas normas ».

Item in Wernz-Vidal (*Ius canon.*, vol. VI, n. 580): « In casibus hisce exceptis, pars debet exhibere petitionem, et iudex, cognito verificari casum exceptum, poterit decernere novae petitionis admissionem, audita *prius* altera parte, cui in tali casu concedere debet congruum tempus ut novas probationes cognoscat et se defendere possit (can. 1861, § 2). Quod ius alterius partis libere impugnandi novam adductam probationem, perinde ac fit in periodo probatoria nondum clausa, adeo sacrum est, ut si facultas concessa non fuit, iudicium nullitatis vitio inficiatur ».

Tandem, adhuc clarius in Lega-Bartoccetti (*Comment. in iudicia eccl.*, 1939, vol. II, pag. 910): « Praeterea advertatur literam canonis statuere probationes non esse admittendas a iudice *nisi audita altera parte*, et dilationem esse concedendam opportunam pro defensione; et haec duo esse observanda quod si unum vel alterum desit, *iudicium nullius esse momenti* ».

Aliunde, de essentia est iudicialis disceptationis ut quid uni parti valide non concedatur, quin altera rem tempestive cognoscat et contradicendi iure uti possit. Et hoc omnino rationabile est, nam ex contradictione alterius partis aliqua emergere possunt, quae peremptorie obstent quominus nova petita admittantur: exempli gr., inoppugnabilis falsitas documenti alicuius, quod admittendum proponitur, vel, quoad testes, unus ex casibus praevisis in can. 1755, § 2, aut in can. 1757, § 3.

Patres, ergo, declararunt decretum Iudicis Instructoris, diei 3 augusti 1947 invalidum esse, ob neglectum praescriptum can. 1861, § 2, collati cum can. 1786, idemque attentatum constituere, lite pendente a iudice perpetratum, in praeiudicium insciae partis conventae.

IV. *De appellatione seu recursu contra decretum.*

Sed ponamus decretum diei 3 augusti 1947 validum fuisse.

Quaerimus statim an certo constet quod fuerit ultra fatalia ab advocato conventae appellatum, sicut decisit Tribunal primae instantiae die 3 octobris 1947 ac egregii Patres praecedentis Turni, die 6 novembris 1948, confirmarunt.

Ac imprimis notandum in praeteritis iudicii incidentis gradibus neminem dubitasse advocatum partis Conventae libellum appellationis exarasse die 19 septembris 1947, i. e. intra fatalia: quaestio, proinde, tota quanta est in decidendo an libellus idem fuerit debito ac valido tempore Tribunali praesentatus.

Proprie loquendo, ut nemo ignorat, appellatio est « ius... provocandi ab inferiore iudice, qui sententiam tulit, ad superiorem » (can. 1879).

Provocatio, e contra, a simplici iudicis instructoris decreto ad Collegium rectius dicitur recursus.

Sed cum iisdem regulis recursus regatur atque appellatio, non raro promiscue sumitur uterque terminus et, sive pro recursu sive pro appellatione, provocatur ad canones qui appellationem regunt.

Instructio « *Provida Mater* », tit. XI « *De causis incidentibus* », art. 188, haec habet:

§ 1. Parti legitime instanti Instructor satisfacere *tenetur* per decretum.

§ 2. A quocumque Instructoris decreto, pars cuius interest ad Collegium recurrere potest, ut quaestio incidens instituatur. Recursus tamen intra decem dierum spatium a decreti notificatione instituendus erit, secus partes decreto acquievisse censentur ».

Quoad temporis supputationem, in casu, prae oculis habendum est statutum in can. 34, § 3: « Si tempus constet uno vel pluribus mensibus aut annis, una vel pluribus hebdomadibus, aut tandem

pluribus diebus, et terminus a quo explicite vel implicite assignetur:

1) ... omissis ...

2) ... omissis ...

3) Si terminus a quo non coincidat cum initio diei, exempli gr. decimus quartus aetatis annus, annus novitiatus, octiduum a vacatione sedis episcopalis, decendium ad appellandum etc., primus dies ne computetur, et tempus finiatur *expleto ultimo die* eiusdem numeri ».

Iam ex hoc desumitur tempus utile ad appellandum seu recurrendum, in casu, decurrere a primo momento diei 10 septembris 1947 usque ad momentum postremum diei 19 septembris: quo attento, sequitur inique et invalide testes novos propositos mane diei 20 septembris excussos fuisse. Nam, in hypothesi quod pars Conventa ultimis diei 19 septembris horis ad appellandum seu recurrendum se determinaverit, nulla lege tenebatur libellum recursus Tribunali exhibendi primis diei 20 septembris horis: poterat, verbigr., libellum expedire re tabellaria (servizio postale) utendo, et ita libellus, currentibus ultimis diei 19 septembris horis missus, ad Tribunal pervenisset post meridiem diei 20, quando, nempe — si actis standum est —, iam omnes testes fuerant excussi. Tenebatur, e contra Tribunal, etiam fatalibus mathematice elapsis, per conveniens spatium temporis expectare ut plicus, forte per tabellarios die 19 missus, pervenire posset; nam, illud denegando, consequenter, contra ius, decendium practice coarctavit.

Lucide pertractatur de huiusmodi in una coram Jullien, diei 29 ianuarii 1936: « Quoad autem tempus... ex clara legis dispositione (can. 34, § 3, 3°) fatalia ad appellandum, aut ad prosecutionem appellationis, primo die non computato, terminantur *expleto* ultimo die termini statuti. Pars, igitur, ad appellandum habet *decem dies completos*, ad prosequendam appellationem mensem completum, « ita ut adhuc decimo die... *ante completum ultimum eius momentum* possit appellare... », ut legitur in Reiffenstuel, lib. II, tit. 27, *De sent. et re iudic.*, n. 111. Nulla autem lege requiritur ut, antequam expleatur terminus lege positus, notitia appellationis aut prosecutionis ad iudicem perventa sit, secus enim in multis locis a sede Tribunalis remotis pars appellans non gauderet decem diebus completis ad deliberandum velitne appellare... Requiritur vero ac sufficit ut constet quod antequam statutum tempus finitum fuerit, appellatio interposita fuerit..., seu ministerium iudicis superioris invocaverit, puta per epistolam, adiungendo documenta requisita: de quo constare potest, ex. gr. si instrumenta necessaria ante terminum statutum tradantur ad tabellarios publicos, aut transmittan-

tur alio modo, iuxta locorum leges et conditiones tuto etc. » (Dec. VI, vol. XXVIII, pag. 56, n. 5).

Sed adiunctum omnino peculiare, in praesentiarum, Tribunal primae instantiae aufugit: i. e. diem 19 septembris, in quem festum Patroni loci cadit, feriatum esse pro illa civitate.

Praescribit can. 1636: « Si dies, pro actu iudiciali indictus, sit feriatus, nec in decreto iudicis dicatur expresse tribunal vacaturum nihilominus causis cognoscendis, terminus intelligitur prorogatus ad primam sequentem diem non feriatam ».

Etiam in hoc canone interpretando, prae oculis habendus est obvius sensus verborum. Dicitur enim ibi quod « terminus » intelligitur prorogatus; pro *termino*, vero, sumi non potest generice *dies*, sed ultimum diei momentum debet intelligi, nam illud tantum est *terminus*. Sequitur quod fatalium terminus, in hac causa, qui per se cecidisset in extremum diei 19 septembris momentum, prorogari debet ad extremum momentum diei 20 septembris. At, postremo talis diei momento vix elapso, denuo, anno illo 1947, intrabat dies feriatus, i. e. *dies dominicus 21 septembris 1947*. Currente dominico die, nullo modo pars Conventa tenebatur ad exhibendum recursum. Effecit, tamen, ut perveniret ad domum privatam notarii, hora tertia post meridiem diei illius, ut ex actis. Plus ergo fecit quam lege stricte requisitum esset. Et, cum notarius, mane insequentis diei 22 septembris, ad Tribunalis sedem libellum portasset, constat intra fatalia libellum exaratum fuisse, ac non ultra legitimos terminos Tribunali praesentatum.

V. (*Omissis...*).

Albertus Canestri
Joannes Teodori
Petrus Mattioli, Ponens.

MATRITEN.

Separationis.

Sententia interlocutoria d. 22. iulii 1950,
c. R. P. D. Pericle Felici, Ponente.

In Iure - Causae de statu personarum, quibus ipsae causae separationis inter coniuges accensentur, quamvis numquam transeant in rem iudicatam (can. 1903), fieri tamen exsecutivae possunt post duplicem sententiam pro nullitate vel pro separatione conformem (can. 1987). Videndum igitur est quandonam duae sententiae conformes dici possint et debeant, ita ut, salvo iure Defensoris Vin-

culi, admittendum non sit commune appellationis remedium. « Illae sententiae dicuntur *conformes* — animadvertit PIRHING — quarum una confirmat aliam, quamvis non sit necesse ut expresse confirmet, sed satis est quod *in substantia idem contineat* et non sint difformes quoad *substantiam vel qualitatem principalem* » (*Ius Can.* lib. II, tit. 27, sect. 4, n. 115, not. 6; item BARBOSA, in *Clem. De calumniis* 1, *De sententia et re iudicata*, II, 11, n. 11; GABRIEL, *Comm. concl.*, tit. *De exsecutione sententiae*, concl. 1, n. 33, 34 et alii communiter). Substantia autem sententiae non solum ex nudis partis dispositivae verbis eruenda est, sed etiam ex substantia partis motivae, quae dispositivam cum induxerit, eandem complet, perficit et absolvit. Quo fit ut iudicatum, in quo duae vel puures sententiae inveniantur conformes, efficiatur et parte dispositiva sententiae et motivis disponendi in sua substantia consideratis, quae sunt eiusdem partis dispositivae praesuppositum necessarium et logicum. Neque aliter dixeris, si iudex tenetur suam dare sententiam non pro arbitrio, sed ob adamussim perpensas iuris factique rationes, et ideo sententia, non minus quam lex, non nudis tantum verbis, sed ipsa quoque ratione constat eam ferentis.

Conformes igitur dici nequeunt sententiae, quae licet in parte dispositiva materialiter concordent, motivis inducuntur ita substantialiter diversis ut iudices, qui eas in successivis instantiis tulerunt, prorsus *aliter* de re proposita sentiisse dicendi sint. Unde doctores commentarium instituentes in Clem. *De calumniis* 1, *De sententia et re iudicata* II, 11, qua calumniae crimen probatum habebatur post tres sententias conformes, haec adnotabant, quae ex citato PIRHING referimus: « Haec constitutio non habet locum, nisi tres sententiae conformes latae fuerint super *eodem articulo*, non autem si super *diversis articulis*, quia tunc cessat ratio dispositionis quae est praesumptio calumniae » (loc. cit. not. 3; item *Glossa* in h. l., v. *Tres;* VENTRIGLIA, Tom. I, adnot. 35 § un. *de sententiis conformibus* n. 3; FERRARIS, Biblioth. v. *Sententia*, n. 69).

In perpendenda autem diversitate sententiae, si ipsi quoque civilistae hodie a subtililitatibus et rigoribus merito abstinent, ut appellationem concedant facilius, id maxime obtinere dicendum est in causis canonicis de statu personarum, quando appellatio urgetur sive ad vinculum coniugale tuendum sive ad firmandam nuptialis convictus stabilitatem. Id ceterum plane congruit menti legislatoris canonici, qui Assertori S. Ligaminis multa hac in materia tribuit et, separationem quod spectat, nonnisi ex causis iustis eam concedendam esse praescribit.

M.

Nullitatis Matrimonii

(X - Z)

PRAELIMINARIS DE REIECTIONE LIBELLI

DECRETUM

c. R. P. D. Ioanne M. Pinna, Ponente

Die 6 augusti 1952

1. - Attento recursu D.nae X. adversus decretum Tribunalis M. diei 26 ianuarii 1952 quo reiiciebatur eius libellus quia visa est inhabilis ad accusandum matrimonium utpote causa culpabilis nullitatis ob assertam simulationem totalem consensus quem eadem praestitisset mere apparenter;

Attento quod ex can. 1971 § 1 n. 1 C. I. C., art. 37 Instruct. S. C. Sacr. *Provida Mater* necnon responsionibus Pont. Commiss. Interp. Cod. diei 12 martii 1929, 17 iulii 1933, 27 iulii 1942 inhabilis est ad accusandum coniux qui causa culpabilis extitit, seu *directa* et *dolosa* sive nullitatis sive impedimenti, i. e. qui sciens et volens, scil. deliberata voluntate *directe*, seu per voluntarium directum, (causa directa) actionem posuit legi contrariam, constituentem impedimentum, intendendo (causa dolosa nullitatis) *vel minus* (causa dolosa impedimenti) matrimonii nullitatem. Exinde fit quod inhabilis non est:

a) qui causa fuit tantummodo indirecta, seu qui per voluntarium indirectum causa extitit impedimenti quatenus illud non directe posuit sed permisit vel non prohibuit;

b) qui coactione seu metu gravi — saltem relative — iniusto et ab extrinseco compulsus fuit ad nuptias cum obice ineundas (*Pont. Comm. Interpr. Cod.*, resp. diei 17 iulii 1933, n. 4 ad. 1);

c) qui ignorantia invincibili iuris vel facti laboravit, vel *simpliciter* vincibili, (non affectata, crassa aut supina) dummodo non solius poenae seu indolis inhabilitantis vel irritantis legis (can. 16 § 1);

d) qui adeo debiles sunt aut fuerunt vel perturbati mente ut eorum actio graviter culpabilis non manserit;

e) in dubio seu quoties certo non constet coniugem fuisse causam directam et dolosam impedimenti vel nullitatis;

2. - Attento quod pacificum est X. fuisse causam directam impedimenti et nullitatis, inquirendum manet utrum eadem fuerit etiam causa dolosa. Qua in re probandus est praesens mulieris patronus qui - saltem in memoriali responsionis - non amplius insistit in thesi praedecessoris, contendentis X. esse perfecte habilem ad accusandum, et excusari a dolo sive quia nesciebat matrimonium futurum esse nullum, sive quia causam simulandi habuit quae in

libello non modo proportionata vocatur sed *iusta* atque ad simulandum adacta fuit necessitate legitimae defensionis.

Hanc thesim *merito* respuit tribunal M.; nam minime requiritur, ut quis inhabilis habeatur, dolus nullitatis, qui ceterum in casu deesse non potuit, cum totaliter simulans ignorare nequeat matrimonium inde fore nullum.

Causa vero simulandi considerari quidem poterit *gravis*, *proportionata*, nimium tamen esset eam appellare *iustam* ac si videatur plene iustificatus qui sacramentum exponit nullitati, veluti si licite ageret. Legitimatio prolis illegitime conceptae aut natae, vel dedecus effugiendum ex foedo commercio etc. inter causas proportionate graves accenseri procul dubio potest: hisce tamen in adiunctis provocare non licet ad ius legitimae defensionis (quod ceterum nonnisi cum moderamine inculpatae tutelae exerceri valet) et eo vel minus fas est *directe* et *positive* actionem ponere intrinsece pravam ad bonum effectum obtinendum vel malum vitandum. Potest quidem, in casu, compars *sinere* (postquam frustra eum avertere conatus est) ut alter coniux praestet invalidum consensum, ipsemet vero id directe agere vetatur.

In vera necessitate, demum, ubi reapse habeatur iniustus aggressor et succurrat ius legitimae defensionis, moderamen debitum servari debet, secus imputabilitas minuitur, non aufertur (can. 2205 § 4), nisi status necessitatis ita mentem perturbaverit ut abstulerit usum rationis (can. 2201 § 2; cfr. F. Roberti, *De delictis* I, p. 156).

3. - Circumstantiae tamen huius matrimonii sive antecedentes sive concomitantes, licet forsan seiunctim non iuvent seu a dolo non excusent, si in suo complexu sumantur, mulieri prosunt, quatenus a culpa theologica gravi, ob semiplenam advertentiam, excusare videntur. Atqui dolus in iure canonico supponit culpam theologicam, et quidem gravem, si de gravi lege agatur (cfr. c. Felici, *Neo-Eboracen.* diei 30 maii 1949).

a) Mulier enim recenter vidua facta et filio orbata, cum nondum attigisset XXIV aetatis annum, phychice depressa erat, eo vel magis quod phtisi laborans, confugere debuit in valetudinarium Y.;

b) his in adiunctis quae capacitatem resistendi minuebant, assiduam sustinere debuit obsidionem eroticam conventi quocum per biennium relationes illicitas nexuit. Obtruncare tandem valuit, post discessum e primo valetudinario, foedum commercium, non tamen potuit se liberare a libidinoso viro, qui eam opprimere non destitit continuis epistolis et visitationibus quocumque se contulisset;

c) mense maio 1944 conditio mulieris in peius cessit: mater debuit nativam E. petere ad cibaria colligenda et solam relinquere filiam apud lacum L., quo, malo fato, remeare nequivit, ab eventibus bellicis impedita. A matre seiuncta, cibis destituta, periculis

ex ingravescente bello subiecta, amicorum auxilii expers, acceptare debuit hospitium et subsidia oblata a convento, quibus idem utebatur ut mulierem sibi arctius devinciret;

d) ex resumptis intimis relationibus cum Z., nopinato X. praegnans facta est; siquidem vir, ut eam ad nuptias induceret, onanistice, prouti antea, non coiverat. Moerore confecta mulier, cum ab abortu procurando abhorreret, inter contraria eligere debuit: vel consulere proprio decori et legitimationi filii acceptando invisum matrimonium vel prospicere tum valetudini sui ipsius et nascituri tum libertati servandae, nuptias recusando. Exinde exturbatio mentis, ex tot aerumnis derivans, gravior effecta est. In tali animi conditione consilium cepit quod tunc licitum ipsi visum est, quodque, mente serena et citra rerum adiuncta in quibus versabatur forsan minime elegisset: scil. statuit - si vera sunt enarrata in libello - matrimonium apparenter celebrare.

Sola quidem necessitas legitimandi filios in peccato conceptos vel effugiendi dedecus non excusat ipsum invalide praestantem consensum; heic tamen non ad eiusmodi necessitatem attendendum est, sed ad mentis perturbationem, quae licet de se sola imputabilitatem non auferat, una cum ceteris adiunctis recensitis, videtur dolum auferre, quemadmodum certe a gravi culpa theologica excusat (cfr. Genicot, *Instr. theol. Mor.*, Bruxelles 1927 vol. 1 n. 157).

Nec obiiciatur, cum decreto Tribunalis M., X. potuisse pericula vitare mediis honestis « sive turpem relationem tandem aliquando abrumpens, sive cum matre ad propria rediens, sive alio se conferens ». Quousque enim potuit, mulier turpes obtruncavit relationes; quando tamen obicem posuit validitati nuptiarum, sub potestate viri inveniebatur constituta, ad matrem redire non poterat, nec alio facile, ob bellicos eventus, sese conferre.

Ad summum rationabiliter denegari nequit saltem dubium esse, in casu, dolum delicti, seu de eodem certe non constare; in dubio autem nemo arceri potest ab accusando matrimonio, eo vel minus X quae, uti constat ex Parochi testimonio, plura dedit sincerae resipiscentiae signa, vitamque piam et honestam agit.

Ils omnibus attentis, infrascripti Patres, Auditores de turno, in Sede Tribunali S. R. Rotae legitime congregati,

Perlectis Memorialibus Adv. R.;

Auditis Defensore vinculi et Promotore iustitiae

D e c r e v e r u n t

non constare de inhabilitate mulieris, in casu, ideoque libellum esse admittendum.

(sign.) Andreas Jullien, *Decanus.*
Arcturus Wynen.
Ioannes M. Pinna, *Ponens.*

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

MODERNA ANIMARUM CURA

Pius XII f. r. in Nuntio radiophonico, dato 3 sept. 1950, sociis sodalitatis iuvenum operariorum Christianorum (J. O. C.) haec insignia verba locutus est: « il est nécessaire d'intégrer avec sagesse et discernement *l'apostolat des ouvriers* dans l'économie générale de l'apostolat de l'homme moderne ». Quam mentem Romani Pontificis iam ceperat et exsecutioni dare studuit Josephus Siri, Archiepiscopus Ianuensis. Cum autem parochiae competentes « propter parvum numerum sacerdotum iisdem addictorum, ob accumulationem sacrorum munerum et praecipuam diligentiam hominibus in portu degentibus adhibendam, ministerium spirituale in portu plane exsequi non valeant; cum praeterea, quod alicuius est momenti, plurimi ex iis qui in portu vivunt non pertineant ad paroecias finitimas portumque quoad territorium respicientes », modernus Praesul celeberrimae sedis, pluries confirmatus ab Apostolica Sede, aptiore modo, quo potuit, commoditati spirituali gentis ex portu-quo urbis Ianuensis vita ac robur nititur et ad quem servandum Petrus Cardinalis Boetto S. J. nihil non contulit operis ac studii - consulere haud dubitavit. Ideo edidit in festo S. Joseph, 19 mart. 1949 Decretum huius tenoris:

I. Servatis paroeciarum finibus, dicione, iuribus adiectis, opus animis in Genuae portu peculiariter excolendis instituimus, eam dicimus regionem quae, portitorum claustris terminata et mari continens, nunc dicitur vel in posterum dicetur Genuae portus.

II. Hoc opus animis in Genuae portu peculiariter excolendis Nobismetipsis reservamus vel iis quibus id muneris demandabimus.

III. Opus animis in Genuae portu peculiariter excolendis credere volumus hisque Litteris credimus Publico Consilio opificibus religioso ac morali auxilio levandis (O.N.A.R.M.O.), ea tamen ratione ut exsecutio Nobis sit obnoxia.

IV. Qui ad hoc speciale ministerium in Genuae portu pertinent homines omnes, incepta ceteraque his inhaerentia, nomine comprehenduntur « Missione Onarmo del porto di Genova ».

V. Sedes huius sacrae missionis sunt templa paroecialia S. Marci et S. Benedicti, quorum administri eiusdem missionis iure socii erunt.

Uterque parochus, qui ex speciali Sedis Apostolicae indulto ad Nostrum nutum eligi potest et ex officio amoveri, intra fines suae paroeciae omnibus fruitur iuribus secundum leges Ecclesiae.

Tamen ut missionalis portus legitima instituta Consilii O.N.A.R.M.O. uterque servare debet.

VI. Paroeciae S. Marci et S. Benedicti seiunguntur a suis vicariatibus urbanis et ambae in novum vicariatum urbanum coalescunt, cui iure praeest moderator Consilii O.N.A.R.M.O.

VII. Sacra missio in portu exsequenda in praecipuam caelestem tutelam S. Joannis Baptistae committitur.

VIII. Hae Litterae publicae die XVII mensis Aprilis, vertente anno, festo die Resurrectionis D. N. Jesu Christi, incipient valere.

Ad finem sibi propositum exsecutioni dandum Praelatus, animarum zelo succensus, sub data 21 julii 1951 conventionem iniit cum Rmo Ministro Provinciali O. F. M. Cap. Provinciae Liguriae ad relationem ordinandam inter Ordinarium loci et Patres Cappucinos dictae Provinciae quoad operam praestandam pro cura animarum operariorum in sensu latissimo portus Ianuensis. Conventio haec elementa statuenda censuit.

Archiepiscopus Ianuensis ac Provincialis Minister Provinciae Liguriae Fratrum Franciscalium Capulatorum, infra scripti, ut recte componantur sacra munera, ab eiusdem Ordinis sodalibus apud Considium, cui appellatio « O.N.A.R.M.O. » Genuae exsequenda, haec inter se constituunt:

I. Loci Ordinario rogante, Moderator Provincialis ei praesentat atque committit religiosos viros qui idonei sint muneri sacerdotis opificibus addicti.

II. Servatis omnino Consilii « O.N.A.R.M.O. » primariis institutis propositis, agendi ratione atque modo (quorum praecipua sunt: in singulas hebdomadas certa hora cogendus conventus omnium sacerdotum opificibus addictorum, relationes sive voce sive scripto perhibendae, inspectiones, inceptorum peculiarium exsecutio), Ordinarius loci et Moderator Provincialis religiosorum opificibus curam impendentium tempus in quod iniatur pactio, ipso eius principio, una circumscribunt terminosque operis constituunt, ita ut hoc, quatenus fieri potest, postulatis Ordinis et Consilii « O.N.A.R.M.O. » commodisque opificum congruet; quotiescumque vero opus extra ordinem faciendum est vel immutandum aliquid de muneribus vel alius religiosus in locum amoti substituendus, toties inter eos conveniet.

III. Religiosus sodalis ut sacerdos opificibus addictus obnoxius est dicioni, inspectioni et animadversioni Ordinarii loci, exceptis iis quae ad officia vitae regularis spectant. Munus sacerdotis opificibus addicti neglegens corrigi potest monitionibus sive castigationibus aut ab Ordinario loci aut a Moderatore religionis, ita vero ut, dissidentibus opinionibus, iudicium Ordinarii loci iugiter vincat. Quodsi religiosus leges Ordinis sui violaverit, Superioris erit in eum consulere, excepto praescripto can. 616. Si a munere sacerdotis opificibus addicti forte amovendus est, id fieri potest ad nutum

tam loci Ordinarii, monito Superiore, quam Superioris, monito Ordinario loci, neque alter alteri causam iudicii tenetur aperire.

IV. Moderator religionis ius habet poscendi a suae dicioni subiectis relationem circa ea quae gesserint in sacro ministerio opificum.

V. Quae ex hac pactione inter loci Ordinarium et Moderatorem religionis intercedit ratio, vigebit etiam, pro potestatis communicatione, inter eos quibus uterque partes suas demandaverit.

VI. Haec pactio a die quo initur valet in annum unum; quo circumacto Archiepiscopus Ianuensis et Minister Provincialis ex mutua consensione conventum recognoscere poterunt, prorogare vel etiam reddere certum.

Datum Genuae die XXI mensis Julii, anno MCMLI.

P. Cassianus a Langasco — + Josephus Siri

L. + S. *Minister Provincialis* — L. + S. *Archiepiscopus Ianuen.*

Nemo est qui non videat summum pondus huiusmodi curae animarum. Sperandum est Excellentissimi archiepiscopi Ianuensis exemplum in aliis civitatibus eiusdem condicionis inventurum esse imitatores. Electio operariorum in tali opera pastorali vix felicior esse potuit. Nam quinam ex omnibus familiis religiosis tanta efficacia in animam operariorum penetrare poterunt quanta humillimi et pauperrimi filii Seraphici Fundatoris?

Occasione Decreti Archiepiscopi et Conventionis inter Archiepiscopum et inter Provinciam Januen. O.F.M. Cap. disputata fuit quaestio: formantne illi « homines quam plurimi, nautae, procuratores, vectigalium publici custodes, fabricatores, opifices, horrearii, exoneratores, vigiles », de quibus in decreto archiepiscopi, *parochiam personalem?* [1].

Actiones, quae parochiam personalem dictorum hominum suadent, sunt sequentes: finis ab Archiepiscopo intentus, qui suum animum convertit ad statum religionis ac morum plurimorum hominum, qui in portu Januen. vitam agunt, opus exercent et inde specialem mentalitatem sibi acquirunt et gravissimis periculis fidei et morum expositi sunt. Potuitne saluti tot animarum ibidem periclitantium opportunius, salubrius, efficacius provideri quam per parochiam personalem sub cura Patrum Capulatorum Minorum? Nonne ipse Codex in Can. 462 § 2 considerat casum, quod Ordi-

---

[1] De parochiis personalibus cf. Mattias Moresio: « *Le parochie genovesi* » in *Rivista Italiana per le Scienze Giuridiche*, XXXI Torino 1901 p. 163-191; Oesterle, « *De iuribus parochorum iuxta CIC* » cum litteratura, in « *Pastor Bonus* », vol. IV p. 227; idem in « *Perfice Munus* » a. 1951 p. 559 de « *Paroecia gentilitia sub ratione matrimonii.* »

narius ex iusta et gravi causa religiosas familias et pias domos, quae in parochiae territorio et a iure non exemptae, a parochi cura subducit? Nonne in casu portus Januen. valet argumentum a minore ad maius? Nam agitur de millibus atque millibus personarum.

Altera ratio in favorem parochiae personalis est insufficientia parochorum sub diverso respectu; ipse sacerdotum numerus est pro tanto labore insufficiens; qui numerus operariorum in vinea Domini modestus insuper iam oneratus est tot officiis ordinariae curae animarum, quot non permittunt specialem operam personis portui addictis impendendam. Et expresse hisce personis particularis cura tribuenda est, utpote expositis summo animarum discrimini in modernorum temporum et personarum condicione difficili.

Unde Can. 1427 providet divisioni parochiae, si multitudo populi non sinit amplius fructiferam curam animarum sub uno pastore animarum obtinendam.

Tertia ratio haec est: Catholici portui addicti inhabitant parochias per totam civitatem dispersas. Si hi omnes sub una parochia personali colliguntur, uniformis eaque efficacior cura obtineri poterit; hanc uniformitatem desiderat ipse Ordinarius. Quae congregatio omnium eiusdem condiciones hominum in una eademque parochia sine dubio promovebit illum spiritum qui medio aevo viros eiusdem condiciones congregavit in unum [2].

Porro ad statuendam parochiam personalem non requiritur *propria* ecclesia; ex rationibus historicis aut localibus una eadem-

---

[2] In Germania medio aevo fundatae sunt parochiae personales, quarum membra non fuerunt certae familiae, sed illi, qui ad certum statum vitae aut ad certum collegium *(corpi d'artefici)* pertinuerunt ut quaedam exempla afferam: Colonia Agrippina inter 19 parochias gavisa est una personali, sc. B. Mariae in Pasculo (S. Maria im Pesch), de qua Archiep. Walramus in documento 29 mart. 1333; cf. documentum d. 24 feb. 1464; huiusmodi parochiae personales exstiterunt in urbe Constantiensi, saltem iam a. 1330; Passavii (documenta ex 26 febr. 1470; 25 apr. 1672, 13 maii 1698); Ratisbonae plures extiterunt parochiae personales; (cf. Can. Conradum de Megenberg: « de limitibus civitatis Ratisbonensis », opus editum a. 1906 a Philippo Schneider). Paderbonae monasterium O.S.B. Abdhinghoffense saltem a. 1269 gavisum est iure parochiali in « homines ad monasterium pertinentes aut in possessione eius degentes et hospites. » Pro ecclesia Bremensi exstat documentum ex a. 1348 referens litem de parochialitate inter rectorem capellae S. Willehadi et duos perpetuos vicarios chori ecclesiae cathedralis; Dorn insuper commemorat urbem Osnabrugen., Minden. pro Passavia circa *personas* sive ecclesiae cathedrali sive ecclesiae S. Pauli adiudicandas plura et extensa exstant decreta v. g. illud 26 febr. 1470 decretum Capituli cathedralis adiudicat « magistrum civium » ecclesiae S. Pauli; commemorantur iudex civitatis cum sua familia, custodes portarum turrium et murorum theloenarii, lapicidae, carpentarii, reformator tectorum, monetarii, nobiles et advenae, hospites et advenae infirmantes, familiares episcopi, familia canonicorum, beneficiatorum et capellanorum. » (cf. Oesterle, *Pastor Bonus* l. c. vol. IV. p. 230 nota).

que ecclesia servire poterit pluribus parochiis realiter distinctis. Parochia personalis communiter loquendo non semper gaudet propria ecclesia. Quandoque ecclesia cathedralis, collegialis, aut pro militibus constituta servit uti ecclesia parochialis aliis fidelibus [3].

Tandem urbs Januensis est urbs parochiarum gentilitiarum, ut ita dicam; inibi saec. XII fundata erat in honorem Sancti Lucae ecclesia quaedam a Huberto Grimaldi et Huberto Spinola. Bulla Clem. III dictam ecclesiam erexit a. 1188 in parochialem pro tribus familiis Grimaldi, Spinola, Rapussi eorumque successoribus; exsecutio Bullae fuit 18 ian. 1192; insuper ipsae receperunt privilegium pertinendi iuridice ad hanc parochialem, quamcumque partem urbis Ianuen. inhabitaverint [4].

Non obstantibus hisce rationibus in casu non agitur de erigenda parochia personali pro omnibus catholicis portui Ianuensi addictis. Nam Decretum archiepiscopi haud commemorat Can. 216 § 4, prohibentem sine *speciali* apostolico indulto erectionem parochiae personalis. Factum, quod intentio archiepiscopi confirmata fuerit a S. Sede, non importat *specialem* licentiam S. Sedis; si Ordinarius postulasset speciale indultum S. Sedis et obtinuisset in favorem erigendae parochiae personalis, tale indultum expresse commemorasset; nam in n. V. Decreti notat speciale Sedis Apostolicae indul-

---

[3] S. C. C. 12. jun. 1917. *Il Monitore Ecclesiastico* 30. 1918, p. 203 sqq. 216; S. C. C. 12 jun. 1917 et 9 febr. 1918: ecclesia paroecialis S. M. Gratiarum in oppido S. Giovanni in Fiore Consentinae archidiocesis (Cosenza) fuit ecclesia parochialis pro tribus parochiis (della Cona, del Monastero, dei Cappuccini). *A.A.S.*, vol. X, p. 285; in eadem Causa expressis verbis (p. 288) edicitur: paroecia in suo esse iuridico - uti dici solet - cum iuribus et officiis plene constituta esse potest, quin propriam ecclesiam habeat. S. C. de Prop. Fide 26 febr. 1875 respondit: Affirmative ad Dubium; teneturne parochus ad applicationem duarum missarum, si habeat vicarium vel alium sacerdotem aut etiam bis ipse celebrat, quando una parochia *caret ecclesia* et populus eius ad alteram ecclesiam venit, ut obligationi satisfaciat audiendi missam. *Collectanea Prop. Fide*, ed. 1907, n. 1436 (vol. 2) (cf. Oesterle l. c. p. 239 nota 1.).

[4] De ulteriore evolutione huius gentilitiae parochiae usque ad a. 1857 cf. *Analecta Iuris Pontificii*, vol. III. (1858) 366; Oesterle l. c. p. 228 sq. Moresio in cit. tractatu « *Le parrocchie gentilizie genovesi* » enumerat pro civitate Ianuen. septem parochias mere gentilitias, sc. 1.) « S. Matteo, gentilizia della famiglia D'Oria »; ecclesia fundata probabiliter a. 1125, agnita uti parochialis a Ioanne XXIII a. 1413; 2.) « S. Pancrazio », constructa ecclesia circa a. 1000, recognita uti parochialis a Clem. VIII a. 1593 », pro familiis Calvo et Pallavicino; 3) « S. Luca », de qua iam satis; 4) « S. Torpete »; templum constructum a. 935; ius parochiale pro familia Cattaneo agnitum a Leone X a. 1519; 5) « S. Benedetto », ecclesia uti parochialis erecta a. 1596, et eodem anno a Clem. VIII confirmata pro omnibus personis, quae sunt in possessionibus familiae D'Oria in Fassolo; 6) « S. Paolo », fundata aedes sacra uti parochialis approbante S. Sede a Simone Camilla pro sua familia. 7) « S. Maria di Cavignano », constructa a. 1552 vi fundationis Bandinelli Sauli ex a. 1481; ex a. 1742 ecclesia parochialis pro familia Sauli ex Bulla Bened. XIV.

tum, vi cuius contra normam iuris duos respectivos parochos eligere et ad nutum amovere potest.

Porro nostris temporibus erectio parochiae personalis est odiosa (Can. 216 § 4), unde nullo modo praesumenda.

Insuper ipse textus Decreti postulat datam interpretationem; in n. I edicitur: « *servatis paroeciarum finibus* »; deinde « *opus* instituimus animis *in Genuae portu* peculiariter excolendis »; Ordinarius loquitur de *regione* quae portitorum claustris *terminata* et *mari* continens dicitur *Genuae portus*. Iuxta n. II. agitur in casu de opere animis in *Genuae portu* peculiariter excolendis. Quod *opus* Ordinarius sibi reservat et credit Publico Consilio opificibus religioso ac morali auxilio elevandis. (O.N.A.R.M.O.). Qui ad hoc speciale ministerium in Genuae portu pertinent, comprehenduntur nomine: « Missione Onarmo del porto di Genova ». *Sedes huius missionis* sunt templa parochialia S. Marci et S. Benedicti. Clara sunt verba n. V: uterque parochus *intra fines suae parochiae omnibus fruitur iuribus* secundum leges Ecclesiae; tandem *hae duae parochiae* seiunguntur a suis vicariatibus urbanis et coalescunt in novum vicariatum urbanum, cui iure praeest moderator Consilii O.N.A.R.M.O.

Etiam contractus cum minoribus Capulatis disserit de opere praestando.

Ill. Vicarius Generalis Ianuen. summa cum benignitate pro sua competentia sequentia elementa communicavit.

1. La Missione predetta *non* costituisce « parrocchia personale ».

2. La Missione nulla esime dalla giurisdizione dei Parroci, la capacità dei quali resta intatta. Solo compiendo doveri di apostolato, che i Parroci dovrebbero compiere ed invece nella fattispecie in generale non valgono a compiere, li solleva. Praticamente i Parroci vengono sollevati quanto ai doveri, non esautorati quanto ai diritti. Il non esservi alcuna esenzione dalla giurisdizione parrocchiale dipende dal fatto che non si è ritenuto « in casu » applicabile il can. 464.

3. Quanto la Missione compie, lo compie non per delega dei Parroci, ma come investita di delega dell'Arcivescovo, il quale esercita il suo potere immediato sui singoli fedeli e tale potere comunica ai delegati che sceglie nell'ambito che crede.

Ciò per il fatto che il Porto di Genova, pur essendo frazionato in molte parrocchie, costituisce una unità ed ha assoluto bisogno di una cura condotta con criteri unitari, non certo realizzabili con tante possibili opinioni diverse.

4. La Missione così costituita ha carattere transitorio, per non provocare, collo stralcio territoriale di ben dodici parrocchie - quell'immaginabile subbuglio che avrebbe facilmente isterilito il desi-

derato bene spirituale per i 35.000 portuali. Però la mente è d'arrivare a costituire uno o due vere parrocchie territoriali in quella forma che la Santa Sede crederà bene approvare in ragione della particolarissima configurazione. La Santa Sede ha già concesso che siano ad nutum le due parrocchie di San Marco e di San Benedetto, nelle quali ha sede la Missione.

5. La Missione compie una cura apostolica tanto rispetto ai singoli, che rispetto agli ambienti del lavoro, a tenore di quanto detto sopra al numero 3 ».

D. G. Oesterle, O. S. B.

SUBDELEGATIO POTESTATIS ASSISTENDI MATRIMONIO

Cum omnia praeparasset ad nuptias celebrandas inter Eugenium et Clarinam, paroecianos suos, Marcus parochus, paroeciae Clarae Lucis solus addictus, ab Episcopo recipit mandatum ut tamquam episcopi delegatus praesens sit congressui in aliqua civitate celebrando. Per tres dies absens erit a paroecia. Audivit sponsum habere avunculum sacerdotem, Philippum, qui invitationem sponsi ut matrimonio assistat renuit acceptare, nolens parochum privare hoc honore; ipse tamen promisit se adfuturum caeremoniae. Quare Marcus adit Robertum, novensilem sacerdotem, in paroecia commorantem, eique concedit facultatem assistendi matrimonio Eugenii et Clarinae, cum facultate subdelegandi Philippum. Fieri enim potest ut hic, audiens rationem qua renuit assistere non amplius vigere, paratus sit ad assistendum. Re optime disposita, Marcus proficiscitur. Die celebrationis Philippus mane pervenit in paroeciam. Cum eo autem etiam venit Romualdus, frater sponsae, sacerdos religiosus, qui nullatenus expectabatur, cum sibi petenti superior denegasset permissionem eundi. Cum vero heri superior recepisset litteras alicuius parochi petentis patrem pro confessionibus audiendis, volens mittere Romualdum, ipsi dedit licentiam iter arripiendi aliqualiter citius et sistere usque ad meridiem in loco Clarae Lucis in via itineris, ut assistat functioni sacrae nuptiarum. Philippus declarat decere ut Romualdus utpote frater sponsae assistat matrimonio et conferat benedictionem nuptialem. Etiam sponsi et parentes hoc vehementer exoptant. Robertus vero quamvis plene paratus ad satisfaciendum iustis hisce desideriis, obiicit se non posse subdelegare nisi Philippum. Hoc etiam clare apparet ex delegatione scripta quam parochus prudentiae regulas servans ei dedit. Tres sacerdotes deliberant, scrutantes libros iuris canonici quos in bi-

blioteca parochi inveniunt. Sed in nullo eorum inveniunt doctrinam casum respicientem. In fine Philippus exclamat: eurèka. Verum est, ait, Robertum non posse subdelegare nisi me. Sed can. 199 § 5 haec habet: nulla subdelegata potestas potest iterum subdelegari, *nisi id expresse concessum fuerit* ». Sufficit ergo quod Robertus, qui potest mihi subdelegare potestatem, mihi etiam concedat potestatem iterum subdelegandi potestatem Romualdo. Tunc ipse habet potestatem assistendi ad normam iuris. Duo alii laudant sagacitatem iuridicam Philippi. In scriptis faciunt id quod Philippus proposuit. Cum omnium laetitia Romualdus requirit et excipit contrahentium consensum. Parocho reduci in paroecia Robertus refert omnia quae facta sunt. Ille autem movet dubium circa matrimonii huius validitatem.

In dubium vocari non potest normas c. 199 de delegatione et subdelegatione potestatis iurisdictionis etiam valere pro delegatione et subdelegatione potestatis assistendi matrimoniis ad normam canonum 1094-1096, nisi can. 1096 quoad hanc specialem potestatem aliam specialem statuat normam. Reapse quoad subdelegationem potestatis assistendi can. 1096 non habet normas proprias, can. 199 derogantes. Casus igitur noster solvi debet applicatione can. 199. Quare nulla sane haberetur ratio dubitanti de validitate matrimonii, si aut Robertus utpote delegatus ad normam can. 1095 § 2 et 1096 aut Philippus utpote subdelegatus a Roberto ad normam can. 199 § 5 matrimonio adstitisset. Quoad applicationem huius § habetur ad abundantiam declaratio authentica, data die 28 Dec. 1927. Dubium autem versatur circa validitatem subdelegationis qua Philippus subdelegavit Romualdum, quia habetur ratio dubitandi de validitate concessionis qua Robertus Philippo concedit potestatem iterum subdelegandi potestatem subdelegatam acceptam. Hic est cardo quaestionis. Potuitne Robertus Philippo concedere potestatem iterum subdelegandi alium, scilicet Romualdum?

Canon 199 nobis non praebet normam qua quaestio directe solvitur. Potestas subdelegata, ait § 5, iterum subdelegari non potest nisi id expresse concessum fuerit. Applicatione huius normae obtinetur conclusio: ergo Philippus non potuit iterum subdelegare potestatem subdelegatam a Roberto obtentam alteri seu Romualdo, nisi expresse hoc ei concessum fuerit. Quaestio nostra autem agit de alia re: nempe utrum Robertus potuerit facere hanc expressam concessionem. Estne sufficiens ut aliquis habeat potestatem subdelegandi, ut insuper habeat potestatem concedendi personae subdelegatae potestatem iterum subdelegandi?

Apud auctores, quantum scio, quaestio non tractatur neque solvitur. Recurrendum nobis est ad principia iuris generalia. Nulla datur ratio interpretandi verba § 5 in sensu restricto quo legitur:

nisi hoc expresse *ipso iure* concessum fuerit. Non solum quia haec restrictio deest in textu, sed insuper quia huiusmodi concessiones potius fieri solent *ab homine;* numquam vel fere numquam a iure. Quis autem est subiectum, cui competit huiusmodi concessiones facere? Mihi videtur quod est ille, qui habet hanc potestatem *ut ordinariam.* Si enim aliquis habeat potestatem ut ordinariam, potestas est proprie *sua.* Ipsi natura rei competit, certe intra limites iuris positivi, hanc potestatem aliis tradere, quae traditio fieri potest uno vel pluribus gradibus, ad quos distinguendos utimur verbis: delegare, subdelegare, iterum subdelegare. Sed quae in hac re fieri possunt sunt in potestate eius, cuius potestas est ordinaria. Unica exceptio habetur si ipso iure seu ab auctoritate superiore aliquid in hac re concedatur. Haec exceptio habetur quando ille qui potestatem habet ordinariam aliquam potestatem ad universitatem causarum delegat alii. Tunc iste alius ipso iure habet potestatem subdelegandi in casibus singulis. Nulla dispositio in contrarium facta ab eo in quo potestas est ordinaria potest praevenire hanc potestatem subdelegandi. (can. 199, § 3). Ergo praeter istos casus in iure praevisos, traditio potestatis dependet ab eo qui potestatem de qua agitur habet *ut ordinariam seu suam;* ab eo in quo series delegationum habet principium. Tenenda erga est regula: nemo delegatus aut subdelegatus potest non tantum subdelegare aut iterum subdelegare, sed nec etiam concedere facultatem iterum subdelegandi, nisi ad hoc expressam obtinuit potestatem ab eo, de cuius potestate ordinaria agitur, salvo iure communi, nominatim can. 199.

In casu proposito apparet parochum concessisse Roberto potestatem delegatam vi cuius ipse potuit assistere. Insuper ei dedit potestatem subdelegandi Philippum et quidem eum solum. Non tamen ei concessit facultatem concedendi Philippo potestatem iterum subdelegandi alterum, scilicet Romualdum. Parochus enim nullatenus praevidit circumstantias, quae utilem reddiderunt hanc potestatem; imo, si aliqualiter eas in Roberto praevidisset, solutio obvia et simplex fuisset: dare Roberto facultatem subdelegandi quemcumque alium sacerdotem et non solum Philippum. Quare Robertus concedendo Philippo facultatem iterum subdelegandi potestatem assistendi Romualdo, egit ut « *delegatus qui circa res mandati fines excedit* ». De tali delegato can. 203, § 1. statuit: *nihil agit.* Actus nullum habet effectum. Consequenter Philippus subdelegans Romualdum egit absque potestate et Romualdus matrimonio adstitit, quin ad hoc erat legitima potestate praeditus ad normam can. 1094-1096. Matrimonium ita celebratum inter Eugenium et Clarinam est invalidum ex defectu formae.

L. Bender, O. P.

DE SENTENTIAE NULLITATE SANABILI EX DEFECTU MOTIVATIONIS NECNON ET INSANABILI EX DEFECTU ACCUSATIONIS.

Casus. Titia matrimonii sui nullitatem regulariter per libellum accusat, facta simpliciter enarrando prout ipsi cognita sunt, et ministerium Iudicis invocat ob conditionem contra bonum prolis a marito matrimonio appositam. Lite contestata et causa instructa, Iudices, suspicati ex Actibus conventum esse impotentem et defectum suum sub specie conditionis contra bonum prolis tegere voluisse, dubio concordato primo respondent: « Dilata et compleantur acta extendendo dubium ad impotentiam viri, de consensu partium et vinculi Defensoris ». Quapropter, citatis et concordibus partibus et vinculi Defensore, nova litis contestatione dubium extenditur ex officio. Nova instructoria peracta, praehabendisque praehabitis, Iudices denuo responderunt non constare de nullitate matrimonii ex apposita conditione contra bonum prolis, constare vero ex impotentia viri. Ad Tribunal superius vinculi Defensore de more appellante, novus vinculi Defensor *praeiudicialiter* obicit Sententiam primi gradus esse nullam, nullitate quidem *sanabili* ad normam Can. 1894, 2° pro primo capite accusationis, nempe pro conditione contra bonum prolis, quod Sententia ipsa recognoscit, ex actibus materialiter sumptis, constare de nullitate et tamen edicit non constare; nullitate autem *insanabili* ad normam Cann. 1892, 1970, pro altero nullitatis capite, nempe pro impotentia viri, ex defectu accusationis.

Quid iuris?

R. *QUOAD PRIMUM*, nempe *de nullitate sanabili Sententiae ex defectu motivationis in facto.*

1. Ante omnia generalibus nonnullis observationibus locum esse censemus circa possibilitatem et legitimitatem obiectionis vinculi Defensoris contra validitatem sententiae in ea parte quae valorem matrimonii in casu declarat.

Notum est enim vinculi Defensoris ius et officium esse intelligentem navare operam ad tutelam Sacri Vinculi [1]. Ad quem finem rite obtinendum vinculi Defensor non solum *active* se gerere debet perdurante processu, sed ius et officium ei incumbit semper ad Tribunal superius appellandi adversus primam sententiam quae nullitatem alicuius matrimonii declaret (Can. 1986); pro sua conscientia,

[1] Cfr. Cann. 1586. 1968, 1969; S. C. Sacramentis, *Instructio* 15 aug. 1936, art. 70-72; 5 ian. 1937; *Allocutionem Pii XII*, 2 oct. 1944.

appellare quoque potest adversus ulteriorem sententiam quae declarationem nullitatis alicuius matrimonii confirmet (Can. 1987).

Nemo tamen vinculi Defensori ius recognoscit impugnandi sententiam, quae, vel saltem quatenus, validitatem alicuius matrimonii pronuntiet. Ad haec scribit Exc.mus Roberti: « Nec dubitamus quin etiam in quaestionibus processualibus (Instr. 1936, art. 16 § 1) *defensor vinculi eam partem debeat sustinere quae vinculo faveat;* e. g. impugnare sententiam nullam quae declaraverit constare de nullitate; *non autem sententiam vitiosam quae declaraverit non constare.* Cum enim... coniuges generaliter, plus vel minus aperte, stent pro declaratione nullitatis, vinculum omnino sine defensione maneret, si ipse defensor se illis adiungeret; officium est promotoris iustitiae, non vinculi defensoris, concludere pro rei veritate » [2].

Denique, si sententia rationes iuris et facti habeat, at tales quae veritati non respondeant, appellatio et forte etiam restitutio in integrum, non vero querela nullitatis proponi contra ipsam poterit [3].

2. Ait Can. 1894, 2°: « Sententia vitio sanabilis nullitatis laborat, quando:... 2°. Motivis seu rationibus decidendi est destituta, salvo praescripto Can. 1605 ». Et Can. 1873 § 1, 3°: « Sententia debet:... 3°. Continere rationes seu « motiva » quae dicuntur, tam in facto quam in iure, quibus dispositiva sententiae pars innititur », quaeque « ab extensore desumantur ex iis quae singuli iudices in discussione attulerunt, nisi ab ipsa iudicum maiore parte praefinitum fuerit quaenam sint motiva proferenda » (ibid., § 2).

Rationes igitur decidendi, seu « motivatio » sententiae, utpote quae sententiam ipsam iustificant, sunt necessario exprimendae in sententia; nec tantum illae exprimendae sunt rationes quae militant pro sententia decisa, sed etiam illae quae eam adversantur quaeque evidenter confutandae sunt [4]. Attamen, sive in ordine tractationis sive in modo sese exprimendi et in ipsarum rationum aestimatione, extensor sententiae liber est nec a partibus aut a vinculi Defensore dependet. Materia autem rationum eidem subministratur a discussione inter Iudices Collegii habita, quamvis etiam extra discussionem et extra Collegium ipse eam invenire possit, nisi Collegium,

---

[2] « *De validiore vinculi defensione comparanda* » in *Apollinaris*, 1940, pag. 39 ss.). Nec obstant verba Sanctissimi (cfr. Alloc. 2 oct. 1944, apud Tromp, *Allocutiones Tres*, Romae, 1944, pag. 40 ss.), cum expresse Pius XII illic edicat « Defensoris esse, ut omnia in luce ponat quae faveant, non vero quae contradicant existentiae vinculi vel eius permanentiae » (ibid., pag. 43).

[3] Conte a Coronata, *Institutiones Iuris Canonici*, III, Taurini, 1941, pag. 336; cfr. etiam Muñiz, *Procedimientos Eclesiasticos*, III, Sevilla, 1926, pag. 503; Roberti, *De Processibus*, II, Romae, 1926, pag. 489; Wernz-Vidal, *De Processibus*, VI, Romae, 1927, pag. 622.

[4] Cfr. Miguélez et aliorum, *Código de Derecho Canonico*, Madrid, 1941, ad Cann. 1873, 1894.

ad maioritatem suffragiorum, iam praefiniverit quaenam sint motiva quae debent aut quae convenit in sententia proferre.

Evidenter regula sollemnitates iudicii respicit quae lege positiva praescribuntur, non autem illa elementa iudicii substantialia, quae ex iure naturae requiruntur, et sine quibus nec iudicium nec sententia proprie consistere possunt [5]. Sunt enim et nullitates iuris naturalis.

At non omnes violationes legis positivae sanctione nullitatis plectuntur.

Etenim, quia nullitas est maior iniustitia [6], Codex complexam materiam legis violationum voluit in unum perfectioremque ordinem redigere, atque resecatis pluribus nullitatis casibus, qui in veteri disciplina numerabantur, eos ad tres tantum substantiales et *insanabiles* constrinxit (Can. 1892), praeter alios minoris momenti, vitio *sanabilis* nullitatis mulctatos (Can. 1894), inter quos et defectus motivationis recensetur. Ne autem praescripta legum, tanta maturitate et sapientia digesta, impune a Iudicibus violari ac negligi possent, voluit Codex ea opportuno remedio communire, non quidem nullitatis, prout antiquo iure eveniebat, sed restitutionis in integrum, inter capita evidentis iniustitiae rei iudicatae, illud quoque accensendo, nempe « legis praescriptum evidenter neglectum ». Ea omnia igitur, quae ex violatione vel neglectu antiqui iuris, nullitatis motivum constituebant adversus sententiam, novo Codice, et relate ad eius praescripta, iniustam eam reddunt, et consequenter non querela nullitatis sed extraordinario remedio restitutionis in integrum impugnandam. Iudex autem praescripta canonum violat, quando contra legem aperte pronunciat, vel circa eam errat, vel quando eamdem evidenter negligit. Qui modi violationis legis, iuxta antiquam doctrinam, sententiae nullitatem secumferebant. Codex vero legum violationes inter capita restitutionis in integrum accensuit. Sed ratio exigit, quod sub nomine *praescripti legis*, etiam sollemnitates iudiciales in re gravi Can. 1905 § 2, 4° intellexerit; aliter dicendum foret, quod legislator Iudices arbitros constituisset suae legis servandae aut impune negligendae. Quod fortius, si cursim graviora expendamus praescripta, quorum observantiam Codex ipse peculiari modo praecipit, vel ipsa rei indoles exigit. Ita v. gr. dicendum esset de Iudice, qui lite non contestata rem sententia definit, vel ultra petita in libello pronunciat, aut in causa se intromittit absque legitima appellatione, vel *logicae iuridicae in motivatione detrahit*, et ita porro: in hisce casibus, etiamsi neglegat Iu-

[5] Cfr. S. R. Rota, *Biturgen.*, Locationis, 27 apr. 1917, coram Prior, n. 6.
[6] Cfr. Pellegrini, *Praxis vicariorum*, Venetiis, 1696, pag. 157.

dex praescriptum legis, tamen id non producit nullitatem processus aut sententiae [7].

Nota insuper defectum logicae iuridicae non auferre a Iudice iurisdictionem [8].

Caeterum in Iure Canonico viget principium ita in *Thesauro* S. Congregationis Concilii formulatum: *praesumptiones pro validitate actus praeferuntur contrariis praesumptio*nibus [8bis].

3. Contendit igitur vinculi Defensor in gradu appellationis sententiam primi gradus esse nullam, quia Iudices primi gradus, in motivatione facti, dum recognoscunt ex actibus materialiter sumptis *logice* probationem asserti capitis nullitatis deduci debuisse, illogice tamen et arbitrarie contra eam pronunciant. Esto. Rationes igitur decidendi, etsi vinculi Defensori non probandae, adsunt: unde Iudices non in Can. 1894, 2° peccarent, sed potius in Can. 1905 § 2, 4°, quod nempe legis praescriptum, de sententiae motivatione quae veritati obiectivae non responderet, evidenter neglexissent. Ipse igitur, si tamen id facere ex officio suo posset, restitutionem in integrum expetere potuisset, ut Iudices primi gradus ad officium suum rite adimplendum adigeret.

At, quod Iudices primi gradus illogice, arbitrarie et prorsus subiective rationes decidendi respuerint aliasque pro lubitu substituerint, temerarium valde est affirmare.

Sane, nemo malus nisi probetur. Et suspectus praesumeretur iudex qui sententiam tulit neglexitque praescriptum legis ex errore vel ex culpa [9]. At, forsan, si subtilius investigasset, vinculi Defensor potuisset ex actibus, ex Animadversionibus praesertim vinculi Defensoris primi gradus, rationes invenire, quibus ducti Iudices primi gradus, ex sua conscientia probationes existimantes (Can. 1869 § 3), novas rationes iis quae apprime ex actibus, utpote quae a partibus et a testibus complacentibus allatae, deduci potuissent, opposuerint et ita moralem certitudinem circa rem sententia definiendam, et quidem oppositam ei quae primo obnutu ex actibus provenire videretur, sibi efformaverint.

Praeterea, in systemate canonico probationum recensentur etiam probationes legales, quarum vis a iure pendet. Tales sunt praesumptiones, non solum quae per Codicem inveniuntur sed etiam quae in decursu processus et in peculiari casu efformantur. Etiam prasumptiones *facti* seu *hominis* a Iudice ex processu coniici possunt, dummodo ex facto certo et determinato, quod cum eo, de quo

---

[7] Cfr. S. R. Rota, *S. Iacobi de Chile, Restitutionis in integrum et compromissi*, 5 iul. 1927, coram Parrillo.

[8] Cfr. S. R. Rota, *Nullitatis Matrimonii*, 18 ian. 1921, coram Prior.

[8bis] Cfr. *Thesaurus*, vol. 165, pag. 1329.

[9] Cfr. S. R. Rota, *Incidentis super contumacia*, 24 iul. 1923, coram Florczak.

controversia est, directe cohaereat (Can. 1828). Quae praesumptiones vehementes quoque esse possunt et gravissimae, ita ut persuasionem veritatis aut falsitatis in alicuius animum inducant. Non raro enim contingit in processibus canonicis ut perditissimi hominum, ad declarationem nullitatis matrimonii sui obtinendam, alios inducant, sive familiares sive extraneos, qui mentiendo et exaggerando illos adiuvent ad demonstrandam v. gr. praeexistentiam alicuius intentionis seu conditionis contra substantiam matrimonii necnon et ad tegendam propriam turpitudinem. Nec valet obiicere partes et testes iurisiurandi sacramento ad veritatem fatendam obstringi: siquidem omnes norunt quanti iurisiurandi religionem faciant perditissimi, immo et quandoque viri qui probi aestimantur, quique sibi facile persuadent melius esse scandala auferre quam sanctitatem iurisiurandi tenere. Coeterum huic difficultati non absolute obviatur per testimonia credibilitatis. Non semper enim parochi probe noscunt, praesertim in magnis urbibus, personas de quibus testimonia credibilitatis redigunt, nec semper omnino libere aut ex intima animi persuasione huiusmodi testimonia dant, ex diversis rationibus.

Quapropter Iudex accurate inquirere debet ad detegendam veritatem facti, et, in iudicando, si necessariam moralem certitudinem, non ex eis quae materialiter apparent sed ex veritate obiectiva factorum, efformare sibi non potuit, pronuntiare debet non constare de iure actoris (Can. 1869 § 4), praesertim quod in causis matrimonialibus in dubio standum est pro valore matrimonii (Can. 1014).

4. Ut, denique, propositam difficultatem solvamus, conventus, de quo in casu, actricem ignaram libere et libenter duxit: *voluit* eam ducere quia eam amore *diligebat* et in ea proposita innaturalis luxuriae perditissimus, de quo bonum parochi testimonium deest in actis, formulaverat, quae, iam in primo concubitu, relicta via naturali, explere voluit, ignarae novae nuptae respondens se in illis innaturalibus libidinibus maiorem et pleniorem voluptatem invenire. Inde praesumptio conventum valide contraxisse matrimonium, quod tamen innaturalibus libidinibus foedare intendit.

Insuper, iam ante matrimonium hauserat conventus ex medico a curatione se, ex praegresso morbo venereo, impotentem esse ad procreationem, ideoque iam ei nulla necessitas incumbebat intentionis contra prolem, quae ex eius opera evenire physice et naturaliter non poterat. Ipse autem non vult in iudicio admittere veritatem suae impotentiae et astute comminiscitur excusationem non petitam, ne, ut solet, minoratus habeatur. Sed sibi miserrime contradicit. Unde praesumptio, immo et certitudo, de fictione capitis nullitatis ob exclusam prolem. Eius praeterea morbi praegressi gravitas aliam praesumptionem inducit, ipsum nempe vitiosum esse

et magis innaturales vias explendae libidinis quaerere quam naturales. Id demonstrat eius agendi modus cum uxore nova nupta, diu amata et perardenter concupita: iam in primo concubitu, quando quilibet sanae mentis vias naturales quaerit et, si damnanda proposita contra bonum prolis habeat, mediis utitur (quae de coetero inutilia erant pro eo qui probe sciverat se patrem fieri absolute non posse) ad praecavendum periculum conceptionis, conventus mediis huiusmodi non utitur, virginem uxorem non deflorat sed innaturalem in ea libidinem explet; et dein eodem modo pergit etiam progrediente tempore, ad vias naturales non revertens, nisi aliquando ad occasionem, ex supplicationibus et protestationibus uxoris, ad quam illudit onanistice coeundo, praetendens id facere ut proles (quam ipse scit non posse evenire) evitetur.

Num damnari possunt Iudices primi gradus, si, talibus in adiunctis, praesumant conventum non intentione contra bonum prolis sed innaturalis libidinis desiderio ad matrimonium accessisse?

Rebus sic stantibus, contra affirmationes conventi et falsas probationes in processu congestas, facti gravissimis praesumptionibus coacti sunt Iudices primi gradus ad sententiam negativam pronuntiandam quoad caput exclusionis prolis, et in hoc ipsi legitime egerunt et sententiam protulerunt ex propria conscientia maturatam eamque rationibus sufficientibus in iure et in facto exornarunt. Non est igitur sententia nulla, nec contra praescriptum legis prolata, sed omnino valida et iusta.

5. Tandem, quoad propositionem huius « assertae » nullitatis sanabilis, praeterquam quod honeste non recognoscimus vinculi Defensori ius eam obiiciendi, cum agatur de nullitate sanabili, querela nullitatis proponi potest, iuxta Can. 1895, vel una cum appellatione intra decendium (quod evidenter factum non fuit, ut ex elementis casus propositi deducitur), vel seorsim et unice qua querela, intra tres menses a die publicationis sententiae, coram Iudice qui sententiam tulit.

Provideat, igitur, is, cuius interest, ut actionem nullitatis promoveat per querelam nullitatis apud Iudicem primi gradus et intra tempus statutum. Datur enim actio ad obtinendam a Iudice declarationem nullitatis (Can. 1679). Sed, transacto termino trium mensium, actio non amplius proponi potest; siquidem, nullitas huiusmodi, si tamen existat, voluntate legis sanata est.

Quodsi proponatur, non excluditur eo ipso ordinarium remedium appellationis intra decendium propositae.

Si e contra querela nullitatis proponatur una cum appellatio-

ne, etiam interponi debet coram Iudice a quo prolata est sententia (Can. 1881) [10].

Si, denique, persona Iudicis in suspicionem venit, querelans instet ut subrogetur (Can. 1896), rationibus suspicionis probatis (Can. 1615).

Iudices proinde primi gradus videant utrum substineatur sententia an corrigenda sit. Quia insuper valor sententiae censetur esse boni publici, expetit ut in causa nullitatis sententiae vocetur quoque Promotor iustitiae [11].

QUOAD SECUNDUM, nempe *de nullitate insanabili ex defectu accusationis.*

6. Contendit vinculi Defensor in gradu appellationis dubium alterum in casu propositum seu melius extensionem dubii ad impotentiam viri fuisse *ex officio statutam et formulatam*, quia in relatione Sessionis Iudicum pro sententia id decisum fuit, idipsumque eruitur ex verbis ipsius sententiae et confirmatur ex relatione litis contestationis super novum caput, necnon et a vinculi Defensore primi gradus aperte recognoscitur. Unde, concludit, deficiente accusatione, et quidem formali et scripta (Cann. 1706-1707), partium aut saltem alterutrius partis, cum non possit tamquam accusatio formalis factum haberi « di essere consenzienti ad una proposta del Preside o del Collegio giudicante », deficit processus super novum hoc caput nullitatis et consequenter insanabiliter deficit sententia.

Ad haec submisse, sed salva reverentia firmiter, prout sequitur responsum non negamus.

Praeprimis, ad praecisionem dumtaxat, notamus dubium: « An constet de nullitate matrimonii *etiam* ob impotentiam viri », prout legitur in sententia, quam nullitate insanabili laborare contenditur, *NON FUISSE* ex officio statutum in Sessione Iudicum: in ea enim tantum decisum est ut prolatio sententiae definitivae differretur, et ut, ad summum, bene consideraretur utrum conveniret dubium ad caput nullitatis ex impotentia viri, de consensu partium et vinculi Defensoris, *extendere*. Iudices igitur adhuc manent in ambitu art. 201 § 1 Instructionis 15 aug.1936, et, quatenus refertur *ad extensionem* dubii ad novum caput nullitatis, in ambitu Cann. 1729 § 4, 1741, 1° necnon et art. 219 § 1 praedictae Instructionis [12]. E con-

[10] Postrema can. 1895 clausula utrumque membrum ipsius afficit, iuvante hanc interpretationem grammaticali structura canonis eiusdem (Blat, *De processibus*, Romae, 1927, pag. 408).

[11] Roberti, *De Processibus*, II, pag. 234.

[12] Dispositio art. 219 § 1 graves difficultates practicas producere potest. Ius enim commune (Can. 1891) tantum pro primo iudicii gradu admittit possibilitatem deductionis novi capitis nullitatis, idque omnino vetat pro gradu appellationis fie-

tra, in nova litis contestatione dubium circa impotentiam viri *proponitur* quidem a Iudice et, consentientibus partibus et vinculi Defensore, *concordatur* ex officio.

Deinde falso asseritur defectum formalis et scriptae accusationis producere, in casu, nullitatem insanabilem ad normam Cann. 1892 et 1970, ut inferius probare conabimur.

7. Etenim, constans fuit praxis. iurisprudentiae canonicae, praesertim rotalis, tres tantum positivas nullitates attendere « resultantes a tribus defectibus substantialibus, nempe iurisdictionis, citationis et mandati » [13]. Quae praxis auctoritate Romanorum Pontificum pluries firmata est [14], idque non solum in iudiciis ordinariis sed etiam in summariis [15]. Siquidem, « S. Rota alias non consuevit attendere nullitates praeter superius expressas, quae sunt... insanabiles » [16], quamvis de iure naturae sententia nulla declarari possit, si deficiat elementum substantiale ipsius iudicii, sine quo nimirum iudicium concipi nequit [17]. Explicitius insuper in una *S. Iacobi de Chile, Iuris funerandi*, legitur: « sententiarum nullitas (praeter eam quae substantialis est, utpote quae oritur ex iure naturae, quia deest conditio aliqua a iure ipso naturae requisita) alia in iure canonico non admittitur, nisi habeatur vel defectus iurisdictionis in Iudice, vel defectus mandati in patrono, vel defectus citationis partis..., quibus a Pio PP. X adiunctum est quartum nullitatis caput, nempe « Si tempus, ut respondere possit, non concedatur parti, cui, post conclusionem in casusa, novum repertum documentum fuit notificatum » [18]. Sane aliae nullitatis rationes haberi possunt, sed hae non attenduntur *nisi adducatur lex specialis eam inducens*, aut decretum aut conventio legitima quae sub nullitatis

---

ri: « Noi opiniamo che non si tratta di innovazione nel significato tecnico di abrogazione o di derogazione, cioè di abolizione totale o parziale del canone (1891), ma di una disposizione dichiarativa rispetto alla *causa* efficiente dell'azione matrimoniale *(causa petendi)*, il cui interesse ossia la ragione per cui spetta l'azione non consente che sia applicato il divieto sancito nel Can. 1891, e perciò *ex adverso* ammette il mutamento oggettivo della domanda iniziale » (Badii, *Il Procedimento matrimoniale davanti ai Tribunali diocesani*, Roma, 1938, pag. 156-157).

[13] De Luca, *De Iudiciis*, disc. 38 n. 22; cfr. disc. 6 n. 2; *Relatio Curiae*, disc. 31 n. 43.

[14] Cfr. Pii iv *Const.* « *In Throno Iustitiae* », 27 dec. 1561 § 13; Pauli v, *Const.* « *Universi Agri Dominici* », 1 mart. 1912 § 5.

[15] Cfr. Clementis viii *Const.* « *Litium dispendiis* », 9 febr. 1592.

[16] S. R. Rota, *Impedimenti ad contrahendum*, 11 mart. 1910, coram Persiani; cfr. etiam *Suessana, Remotionis a paroecia*, 3 febr. 1911, coram Mori; Bonaëren, *Remotionis*, 5 apr. 1916, coram Sebastianelli; Treviren., *Diffamationis*, 7 febr. 1913, coram Many.

[17] S. R. Rota, *Depositi pii*, 18 ian. 1921, coram Prior.

[18] S. R. Rota, 15 nov. 1916, coram Cattani-Amadori; Const. *Sapienti Consilio*, 29 iun. 1908, Can. 31.

conditione aliquid statuant [19]. Quare, regula de tribus defectibus, ex quibus nullitas sententiae, sollemnitates iudicii respicit quae lege positiva praescribuntur, non autem illa elementa iudicii substantialia, quae ex iure naturae requiruntur, et sine quibus iudicium proprie dictum consistere nequit [20]. Capita igitur nullitatis sententiae sunt a iure specifice designata, nec Iudici est facultas, in re tam odiosa, per analogiam ea ad alia capita extendere [21]. Et quoad alia iuris naturalis capita nullitatis, v. gr. quoad defensionem, quae asserebatur denegata fuisse, et quoad nominationem Advocati ex officio, in una *Impedimenti ad contrahendum* responderunt Auditores de turno, praescriptam defensionem non muniri clausula irritanti [22] ideoque « in iure canonico receptum est principium quod actus contra ius sit illicitus, sed validus, nisi ius munitum sit clausula irritanti » [23], et in una *Suessana* Patres concluserunt nominationis Advocati ex officio omissionem non inducere nullitatem processus [24].

8. De legitimitate mandati procuratorii et de eiusdem mandati necessitate ut procurator et advocatus partem habeant in processu, ex professo non loquimur. Non enim quaestio ad nos pertinet.

De necessitate citationis « communis Auctorum doctrina est, defectum citationis sanari, aut (eam) non esse necessariam, si pars conventa sponte compareat, hoc enim in casu finis citationis attingitur » [25]. Et in una *Heliopolitana* citata, «... Domini dixerunt, defectum citationis reapse haberi substantialem etiam apud S. Rotam quae sollemne usque habuit nullum aliud vitium inducere nullitatem in processibus nisi hoc proveniat ex defectu citationis, mandati et iurisdictionis... Sacra Rota autem in hac materia secuta est has regulas nempe citationem non requiri ad validitatem iudicii si ista omittatur *quando qui citari debuissent habent certam notitiam litis et hanc scientiam esse Iudici perspectam ex probabilibus indiciis et coniecturis dubitari non possit* » [26]. Pariter, in una *Nul-*

---

[19] S. R. Rota, *Heliopolitana*, *Iurispatronatus*, 22 nov. 1913, coram Lega.

[20] S. R. Rota, *Biturgen.*, *Locationis*, 27 apr. 1917, coram Prior.

[21] S. R. Rota, *Matriten.*, *Nullitatis actorum et sententiae*, 3 iul. 1933, coram Parrillo. Etenim, apud S. R. Rotam hoc viget principium: « Nullitates sunt odiosae eorumque effectus quam minime extendendi, ne humanum commercium facilius fiat incertum » *(Parentina*, *Nutlitatis Matrimonii*, 12 apr. 1943, coram Teodori).

[22] S. R. Rota, *Impedimenti ad contrahendum*, 11 mart. 1910, coram Persiani.

[23] Gasparri, *De Matrimonio*, I, c. 3, n. 254.

[24] S. R. Rota, *Suessana*, *Remotionis a parocia*, 3 febr. 1911, coram Mori.

[25] S. R. Rota, *Luganen.*, 5 mart. 1915, coram Sebastianelli.

[26] S. R. Rota, *Heliopolitana*, *Iurispatronatus*, 22 nov. 1913, coram Lega ; cfr. etiam *Recentiores*, XIX, II, decis. 466 ; et coram Dunozet Seniore, decis. 89 ; et coram Ubaldo, decis. 459. - Verum « ut suppleatur citatio per spontaneam compa-

litatis Matrimonii, S. R. Rota confirmavit principia de nullitate sententiae et quoad citationis defectum addidit: « Inutiliter citatur qui praesens est, et coeteroquin omnes effectus iuridici citationis obtinentur, si pars quacumque demum ex causa coram tribunali compareat, sua iura defensura... Adelis coram Iudice comparuit tamquam rea conventa; probe enim sciebat de matrimonio suo eiusque valore agi », contra argumenta patroni conventae, qui contendebat clientem suam coram Iudice comparuisse « non iuris experiundi causa, sed ut interrogatorium subiret ad modum aliorum testium » [27].

Similiter in alia *Nullitatis Matrimonii* [28] dicitur: « Nec nullitas sententiae admittenda est ob defectum citationis... Citatio enimvero, quatenus est in ius vocatio, seu quatenus est actus legitimus, quo quis ex mandato Iudicis vocatur in iudicium, iuris experiundi causa, nedum positivo iure, sed etiam naturali, necessario requiritur « quia citatio spectat ad naturalem defensionem sicque nulli est deneganda, cum nemo inauditus condemnari debeat. Unde citatio dicitur esse principium ac fundamentum iudicii, seu prima pars iudicii » [29]. Verum hoc intelligendum non est de ipso materiali actu citationis: quando enim quis coram Iudice sistit iuris sui experiendi causa, nihil refert an sit praesens per decretum citationis, vel sponte sua citationem praeveniens, aut casu aliquo coram Iudice compareat sua iura defensurus; finis enim citationis obtentus est, et defensioni aeque consultum ».

Consonat doctrina antiqua et moderna: « Citatio, ait Schmalzgrüber [30], non requiritur si reus aliunde cognosceret contra se intentatam litem, et non citatus compareret coram Iudice ac respondendo iudicium susciperet; nam tali casu non apparet cur, ob non factam citationem, actus iudiciales iure naturae essent invalidi; nam simile quid contingit in reconventione, ubi actor fit reus et tamen non citatur, quia praesens est ». Eadem dicunt, plus minusve, omnes moderni Commentatores Cann. 1711 § 2, 1724, 1894, 1° [31]. Coeterum, « quando reus in iudicio ordinario litem contestatur, iudicium suscipit et acceptat » [32]. Quodsi habeat exceptiones faciendas

---

ritionem partium coram Iudice, oportet ut Actuarius in actis significet partes sponte sua in iudicio adfuisse (Can. 1711 § 2) » (S. R. Rota, *Belograden.*, *Nullitatis Matrimonii*, 22 iul. 1942, coram Quattrocolo).

[27] S. R. Rota, *Nullitatis Matrimonii*, 8 iul. 1919, coram Prior.

[28] S. R. Rota, *Nullitatis Matrimonii*, 28 ian. 1918, coram Sebastianelli.

[29] Cfr. Reiffenstuel, II, tit. 3 § 11 n. 42, 46, 48.

[30] Cfr. Schmalzgrüber, in tit. *De oblatione libelli*, n. 15.

[31] Cfr. ad exemplum Miguélez, *Código de Derecho Canonico*, Madrid, 1941, pag. 644 ss.

[32] S. R. Rota, *Biturgen.*, *Locationis*, 27 apr. 1917, coram Prior; cfr. etiam *Mauranen. Nullitatis Sententiae*, 13 iul. 1918, coram Prior.

et non movet, id sibi imputet, quia exinde censetur iuri suo renunciasse.

Etiam in appellatione nova rei citatio requiritur et nova facienda est litis contestatio (Cann. 1595, 1891 § 1), etiamsi iam controversiae termini partibus ex actis primi iudicii cogniti sunt. Nam ratio legis, etsi multum ad legem intelligendam conferat, non est lex; et multa reapse praescribuntur ad sollemnitatem, non ad meram probationem [33].

Denique, pro defectu iurisdictionis intelligitur incompetentia absoluta (Cann. 1558, 1892, 2°), quia « nullitates insanabiles sententiae gignuntur a tribunali absolute incompetenti » [34].

Revera, initio litis Iudicis est aestimare an sua sit iurisdictio (Can. 1609 § 1); sed iurisdictio relativa potest prorogari, dum limites iurisdictionis seu competentiae absolutae sunt improrogabiles (Can. 1558). Multae idcirco sunt causae in quibus sententiae vim numquam obtinent rei iudicatae, quamquam appellatum non sit, atque ideo recte revocantur, ut sententiae v. gr. latae a Iudice incompetente [35]. S. R. Rota, in una *Mauranen.* citata [36], nullitatem sententiae declaravit ex defectu iurisdictionis absoluto, quatenus nempe lata erat a Iudice absolute incompetente ratione gradus seu functionis.

9. Porro, in examine Can. 1892 nullibi invenimus referentiam ad petitionem iudicialem seu ad libellum, quo deficiente, sententia esset nulla nullitate insanabili.

Sane, sat difficile est proclamare aliquam sententiam insanabiliter nullam quando finis universalis legis non deficienter, sed abun-

---

[33] Cfr. S. R. Rota, *Querela Nullitatis et Nullitatis Matrimonii*, 10 aug. 1929, coram Mannucci.

[34] Cfr. Roberti, *De processibus*, I, Romae, 1940, pag. 682, 684. - Revera Can. 1892, 1° in *Schemate A.* adhuc alias comprehendebat rationes nullitatis, praeter incompetentiam Iudicis, ut defectum publici ministerii, citationis, legitimationis ad causam, communicationis probationum inter partes... ; quorum defectuum nonnulli transierunt ad nullitates sanabiles, nonnulli vero in discussionibus relicti sunt. In diversis insuper Schematibus non semper distinguebatur inter incompetentiam obsolutam et incompetentiam relativam (cfr. Roberti, *Codicis Iuris Canonici Schemata*, I, in Civitate Vaticana, 1940, pag. 434-435). - Nota insuper incompetentiam absolutam haberi quoque si quando Collegium a minori, quam qui in lege praescribitur, Iudicum numero constituatur. Unde incompetentia huiusmodi *ex parte obiecti* materiam supponit quae a Iudicis iurisdictione subtrahitur; *ex parte* autem *subiecti* supponit Iudicem diversum ab eo, cui lex in casu iurisdictionem concedit in iudicando; semper tamen reflectit inidoneitatem iuridicam ad ponendum actum. Inde nullitas seu potius inexistentia sententiae, quae quidem haberet exteriorem « apparentiam » sententiae, sed re vera talis non esset, cum, deficientibus eius essentialibus constitutivis elementis, provisio iurisdictionalis, seu Iudicis pronuntiatio non esset.

[35] Cfr. Devoti, *Institutiones*, III, de sententia et re iudicata, n. 14.

[36] S. R. Rota, *Mauranen., Nullitatis Sententiae*, 13 iul. 1918, coram Prior.

danter in tuto collocatus est [37]. Ex altera vero parte recolendum est, quod « ratio legis non est lex », « ratio iuris non facit ius », atque « a priori et absolute reiicienda est, ut prorsus abusiva et naturae legis contraria, interpretatio legis quae, formula verbali penitus neglecta vel tamquam quid secundarium considerata, ex solo fine legis voluntatem legislatoris investigaret eamque, secundum huius finis exigentias, ultra omnem verborum sensum, determinaret » [38].

Insuper, bene notandum est principium generale iurisprudentiae, quod in dubio praesumptio stat pro validitate sententiae [39], cum per se omne factum recte factum fuisse praesumatur, donec contrarium probetur.

Requiramus igitur si, saltem ex Can. 1970, defectus libelli seu formalis et scriptae petitionis iudicialis nullitatem processus et sententiae insanabilem producat, et ita coarctari possit ut aequivaleat defectui iurisdictionis absolutae.

Iamvero, ait Can. 1970: « Tribunal collegiale nullam causam matrimonialem cognoscere vel definire potest, nisi regularis accusatio vel iure facta petitio praecesserit ». Num in istis verbis canonis contineatur incompetentia absoluta tribunalis collegialis in causa quae eidem explicite, formaliter et scripto accusata non fuerit, videamus.

Praeprimis, ait Can. 11: « irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter [40] statuitur ». Grave sane et momentosum principium, quod adhuc firmius redditur statuitione Can. 15: « Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent ».

Insuper, leges quae liberum iurium exercitium coarctant, strictae subsunt interpretationi (Can. 19). Et competentiae limites tunc tantum absoluti dicendi sunt, cum ex functione proveniunt, et ex obiecto aut dignitate personarum [41].

---

[37] S. R. Rota, *Dubuquen., Nullitatis Matrimonii*, 12 nov. 1949, coram Wynen. *Inedita.*

[38] Michiels, *Normae Generales Iuris Canonici*, I, Romae, 1948, pag. 540.

[39] Cfr. S. R. Rota, *Luganen.* citata, 5 mart. 1915, coram Sebastianelli.

[40] *Aequivalenter* in lege statuitur « actum esse nullum aut personam esse inhabilem », quotiescumque verba a legislatore adhibita non directe et positive hoc statuunt, sed tantummodo *indirecte et negative*, in quantum scil. verba ista directe et positive exprimunt quaenam conditiones, sollemnitates, qualitates aliaeve circumstantiae requirantur ut actus *validus* aut persona *habilis* sit; hoc ipso enim indirecte et negative, ac proinde aequivalenter, exprimit actum esse *nullum* aut personam esse *inhabilem*, si non satisfacit conditionibus, sollemnitatibus, qualitatibus, etc. ad validitatem aut habilitatem positive requisitis, v. g. si in lege dicatur: « ut valeat, ad validitatem requiritur, habilis est, capax est, etc. » (Michiels, op. cit., pag. 336-337).

[41] Cfr. Roberti, *De Processibus*, I, Romae, 1940, pag. 175.

Prae oculis igitur quae hucusque diximus habentes, necnon et principium iuridicum: « multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roborem firmitatis », modeste ac submisse validitatem tum novae contestationis litis tum processus et appellatae sententiae in casu proposito sustinere audemus, argumenta contraria refellentes [41bis].

10. Ante omnia iam in Const. « Saepe contingit » Clementis V, 19 nov. 1306, libellus pro processu summario non exigebatur: inde coeperunt doctrina et iurisprudentia formalem libellum veluti sol-

---

[41] bis. Revera, in Secunda Parte Decreti Gratiani c. 13. C. XXV. q. 2 *(quae contra leges fiunt pro infectis habeantur)*, affertur hic locus S. Gregorii M.: « Imperiali constitutione sancitum est aperte, ut ea quae contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint ». Regula Iuris 64 in 6°, fere ad litteram reproducens rubricam citati capituli Decreti Gratiani aiebat: « *Quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi* ». His textibus prorsus contraria sonabat quaedam sententia, quae in Decretalibus Gregori IX inveniebatur. Sane, c. 13. X. III, 31, Innocentius III, agendo de professione libere emissa, atque recepta, ante absolutum probationis tempus, eam pronuntiabat validam, addebatque, ad suam decisionem vindicandam: « *multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roborem firmitatis* ». - Ex his, quae contraria videbantur, in iure canonico acerrima orta fuit controversia. Aliqui normam, et quidem absolutam, desumendam esse affirmabant, non ex sententia obiter et in casu singulari prolata, sed ex illa quae videbatur clara, generalis et indubitata ac repetita iuris regula. Asserebant proinde in nostro iure, sicut in iure civili romano hellenico, legem generatim esse et praesumi debere irritantem. Ex textu tamen Innocentii III, non poterant aliquas non apponere huic generali regulae exceptiones ac limitationes (cfr. Suarez, *De Legibus*, V, 25, n. 3; Engel *Ius Canonicum*, I, tit. 2, n. 54 ss.; Schmier, *Iurisprud. Can. civ.*, I, tit. 2, n. 359 ss.). Alii, ex adverso, stricte interpretabantur regulam iuris in Decreto l. c. et in 6° contentam. Ipsam ex iure civili mutuatam, minus censebant iuris canonici indoli covenire, ac proinde ut exceptionem tamtum, admittere volebant. Lex praeceptiva vel prohibitiva, aiebant, ex se suaque natura irritans non est, quia « *multa fieri prohibentur quae si facta fuerint obtinent roborem firmitatis* ». Ut lex ergo, praeterquam praeceptiva vel prohibitiva, irritans sit, debet explicite, vel saltem implicite, a legislatore irritans haberi et ut irritans promulgari. Hoc sensu est illud accipiendum « *quae contra ius fiunt debent pro infectis haberi* »: scil., sunt infecta illa quae contra ius fiunt, explicite vel saltem implicite, ex rei natura vel ex fine legis, vi irritanti praeditum. Nulla difficultas, pro casibus adesse poterat, in quibus lex expressis verbis irritationem continebat; sed, quando lex implicite vim irritantem continere dicenda erat?

Respondebant: a) *Pro legibus prohibentibus*, irritatio implicita tunc certo adest, quando ipsa magis, aut aeque saltem, respicit effectum actus quam ipsum actum. In hos casu, quia ratio prohibendi actum, est ipsius effectus, non potest hic effectus ullo modo admitti seu tolerari: « propter quod unumquodque tale, dicebant, et illud magis ». « Exemplum esse potest, scribit Suarez (l. c. cap. 27, n. 8), in lege, prohibente apponere poenam sponsalibus: ratio enim illius prohibitionis est ut matrimonia sint libera; et ideo lex, prohibens appositionem talis poenae, non solum negat actionem civilem ad talem poenam extorquendam, sed etiam impedit absolute ne ulla obligatio ad poenam ex tali contractu nascatur, quia semper talis obbligatio obstaret libertati matrimonii ». b) *Pro legibus praecipientibus* quae aliquam formam negotiis vel actibus imponebant vel aliquam conditionem

lemnitatem iudicialem considerare, *quae ad essentiam iudicii minime pertineret*, dummodo sufficienter innotuisset obiectum litis, sive hoc factum fuisset ex parte actoris in causis boni privati, sive ex parte actoris aut ex officio in causis boni publici [42].

Revera, in iure canonico « libellus duo praestat: proponit controversiae obiectum et expostulat ministerium iudicis ad deducta

---

exigebant, tunc implicita irritatio admittebatur: 1) quando forma negotio seu actui imposita, erat substantialis, quae ab ipso negotio vel actu, quasi species, separari non poterat... Deficiente hac forma actus proprie loquendo infecti dicebantur. 2) quando sollemnia quae accedebant extrinsecus « puta ne bona Ecclesiae veneant, sine beneplatico Apostolico » attento fine legis aliisve, essentialia erant reputanda. Neglectis his selemniis, actus irriti propriori nomine vocabantur, « etsi, indiscrete, ait D'Annibale, his vocabulis, *infectum irritum*, plerumque utimur ».

Doctrina huiusmodi, etsi relate ad irritationem implicitam, non ex omni parte adhuc clara esset atque expolita, et pluribus disputationibus spatium relinqueret, communis iam ante Codicem erat. « Mihi pene definiti iuris est », aiebat D'Annibale (I, n. 210 not. 4), et ut indubiam, absque disputatione, eam recipiebat Wernz (I ed. 3°, n. 110). Quam certa et communis ante Codicem esset, ex eo si opus fuerit luculenter confirmari valeret, quod Can. 11, in quo ipsa figitur, per integram periodum codificationis, nullis umquam fuerit, ut videtur, animadversionibus oppugnatus (cfr. Van Hove, *De legibus ecclesiasticis*, n. 155). - Porro, ... Ex verbis can. 11 statim sequentia clare deducuntur: 1. Lex canonica, ex se et nisi accedat specialis voluntas legislatoris, quae vim irritantem addat, non est irritans, sed tantum prohibens vel praecipiens, etc.; 2. Lex non praesumitur irritans sed talis probanda est, nec quomodolibet sed ad normam iuris; 3. Lex probatur irritans quando in ipsa expresse vel aequivalenter statuitur, aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam; 4. Statuitur *expresse* irritatio seu inhabilitas, quando in lege verba adhibentur positive vel negative, explicite vel logice sed indubie, irritationem vel personae inhabilitatem continentia (cfr. ex. gr. cc. 104, 105, 162 § 3, 1017 § 1 *(explicite positive)*, 504, 555, 1094, 2294 § 1 *(explicite negative)*, 534 § 2 *(logice)*. Statuitur irritatio *aequivalenter:* quando verba non directo et propria significatione sed indirecto, explicite vel logice, irritationem secumferunt (cc. 39, 116, 148 § 1, 162 § 3, 171 § 3, 765 etc.); quando definitur forma substantialis actus, etsi nihil dicatur de irritatione quam ipsius omissio sacumferret ut v. g. in can. 1680 § 1 (cfr. Maroto, *Inst.* I, ed. 3 n. 225; Oietti, *Comm. in Cod.* I, p. 99) - Ita Exc.mus Larraona, *(Quaestiones canonicae circa Rescriptum saecularizationis et incardinationem saecularigati):* qui concludit scripturam in can. 56 pro executione Rescriptorum non requiri ad valorem sed ad liceitatem (cfr. *Commentarium pro Religiosis*, 1930, pag. 421 ss.).

[42] Cfr. S. R. Rota, *Vercellen., Remotionis*, 11 maii 1909, coram Lega. - Inde provenit quod *numquam*, ex *solo* capite defectus libelli, S. R. Rota nullitatem sententiae, quantum scimus, declaravit. Verum, in una *Lugdunen.*, 2 maii 1936, coram Canestri, S. R. Rota docet: « Defecit quoad hoc caput *omnis* regularis accusatio contra praescriptum Can. 1970, et ideo sententia irrita et nullius effectus est ». Sed *regularis accusatio* non fit *unice* ope libelli formalis. Utique nequit *sine actore* processus institui, sed actor haberi potest etiam sine formali libello, dummodo non habeatur ambiguitas iudicii: non enim in casu, deficiente formali libello, deficere dicitur *omnis*, scil. quaecumque, absolute, regularis accusatio. Revera, causa, de qua agit S. R. Rota, primitus introducta fuerat ob exclusionem boni prolis et boni sacramenti; sed orto in Iudicibus dubio de defectu formae per-

iura persequenda (Can. 1706). Iudex deinde omnia elementa promotae actionis citatione notificat reo, eique praecipit, ut compareat tempore et loco determinato (Can. 1715 § 1). Tandem litiscontestatione obiectum seu materia iudicii constituitur (Can. 1726). Codex moderna ratione expolivit libellum-citationem, exigendo ut elementa actionis promovendae proponantur *generaliore modo* in libello, accurate vero in citatione; ex altera parte inhaeret Iuri Romano et litiscontestationem servat... per litiscontestationem fit initium instantiae (Can. 1732); litiscontestatione constituitur materia iudicii... Quia libellus-citatio et litis contestatio sese invicem complent, *altera alterius defectus supplet.* Si libellus-citatio rite confecta fuerit, processus valide exsistit eiusque obiectum ita est determinatum, ut ob defectum litiscontestationis vix umquam futurus sit nullus. *Si libellus vel citatio non valeat vel DESINT, sed utraque pars litem contestata sit, supplentur defectus libelli-citationis et iudicium valide fundatur in litiscontestatione.* Si vero libellus vel citatio non valeant nec lis contestetur aut procedatur in contumacia, *processus invalide potest constitui ob ambiguitatem iudicii vel ob defectum citationis.* Igitur valor libelli sicuti et citationis attendatur pro casu praesertim, quo litiscontestatio *desit* vel alterutra partium non comparuerit »[43].

Iuxta igitur Hanssen, defectus libelli *formalis* aut *formalis* quoque citationis non secumfert nullitatem processus et sententiae, si tamen lis inter partes et coram Iudice contestata rite fuerit. In casu autem contumaciae alterutrius contendentium in litis contestatione aut deficiente quoque ipsa litis contestatione, tunc tantum processus

---

durante instructoria, diligentem hac de re investigationem ex officio Iudices Lugdunenses instituerunt, et ad modum incidentis praeiudicialis, interlocutoriam sententiam in favorem matrimonii protulerunt; postea vero principaliter edixerunt non constare de matrimonii nullitate ex duplici capite accusato. Partes autem contra sententiam appellarunt quidem sed simul declararunt se appellationem prosequi velle tantum ex capite defectus formae. Sed recte animadvertit S. R. Rota: « Iudices Lugdunenses hanc quaestionem ex officio posuerunt et per sententiam sic dictam interlocutoriam definiverunt, quin ullo modo novum caput nullitatis ab ipsis propositum communicarent sive partibus, sive Promotori iustitiae ». Unde, si saltem novum caput nullitatis, etsi ex officio propositum, partibus et Promotori iustitiae communicatum fuisset, iam regularis adesset accusatio, etiam deficiente libello formali. At, cum revera « huiusmodi sententia minime interlocutoria esset, sed definitiva, cum non causam incidentem, sed (vere) principalem, idest validitatem matrimonii accusati, dirimeret », S. R. Rota appellationem non suscepit, sed a Romano Pontifice facultatem obtinuit de hoc capite tamquam in primo gradu iurisdictionis iudicandi. - Praesens autem casus toto caelo differt ab illo in *Lugdunen.* tractato: hic enim nova dubii concordantia rite facta est, praesentibus et consentientibus partibus et vinculi Defensore, etsi ex officio promota dicatur.

[43] Hanssen, *De sanctione nullitatis in processu canonico (Apollinaris*, 1938, pag. 383-384).

invalide constitueretur, cum haberetur *ambiguitas iudicii*, ita nempe ut materia seu obiectum iudicii ambiguitate et obscuritate laboraret. Siquidem, ut ait Roberti [44], « in processu canonico obiectum iudicii litis contestatione *definitive* statuitur, et tantum *absoluta* incertitudo circa rem petitam petitionem ineptam reddere potest ». Et insuper: « causa petendi in facti expositione implicite continetur; coeterum *iudicis erit eam supplere* (iura novit curia) » [45]. Et adhuc: « unde *sufficit* ut (in libello) *saltem adumbretur* ius facto applicandum » [46].

Revera, Alexander III [47] statuerat non esse necessarium partes ministerium Iudicis libello requirere ad praecisam et bene determinatam ac definitam actionem. Eis enim, tam in processu ordinario quam in processu summario, sufficiens erat facta declarare, cum, praesumptive, iura eorumque subtilitates ignorent; Iudicis igitur erat determinare actionem, ex cuius exercitio solutionem allatae quaestionis adipiscerentur.

11. Consonat iurisprudentia. Siquidem, in una *Vercellen.* citata [48], ait S. R. Rota « ...asserit (appellans) hanc (sententiam primi gradus) nullam esse quia non respondit petitioni Procuratoris fiscalis qui non remotionem oeconomicam, sed privationem beneficii postulavit adversus accusatum, ad tramites cap. 6, sess. XXI de reform. Conc. Trid. Ast RR. PP. considerarunt quod etsi verum esset, Procuratorem fiscalem pure et simpliciter petiisse executionem poenae privationis, tamen *Iudici fas erat in pronunciatione sententiae aliam decernere et applicare poenam, congruentem delicto de quo reus convinctus fuit.* Nam in civilibus (nempe contentiosis) *sententia necessario conformis debet esse libello qui in litis contestatione mutatus non sit*, seu melius, intentioni actoris litis contestatione confirmatae; et hoc sensu *fatuus est Iudex qui iudicat ultra vel extra petita*, iuxta tritum effatum; nam in civilibus si actor rem non petit, eamdem iudicii et sententiae definitivae obiectum esse non posse explorati iuris est; sed in criminalibus diversimode res se habet, quia Procurator fiscalis actionem movet non suam sed publicam, ordinatam ad tutandum bonum publicum; quare in hisce iudiciis Iudex ex officio supplere debet quae ab accusatore deducta

---

[44] Roberti, *De Processibus*, I, Romae, 1926, pag. 423 c).

[45] Ibid., pag. 424.

[46] Ibid., pag. 426.

[47] Cfr. c. 6. X. 2. 1. - Abbas antiquus summarium in capite ponit: « Nomen actionis in libello exprimere pars non cogitur, debet tamen factum ita clare proponere ut ex eo agendi colligatur ». Et Glossa Bernardi Parmensis (Ber.) ait in textu: « Nota quod secundum canones actionem nullus tenetur proponere, sed causam sufficit dicere ». Diversam ibidem opinionem profert glossator Laurentius (Lau.). Inde intelligitur controversiam fuisse tunc temporis de hac materia.

[48] S. R. Rota, *Vercellen., Remotionis*, 11 maii 1909, coram Lega.

non sunt; efficiens ut probationes iudiciales compleantur et sententia prodeat respondens actis et probatis in iudicio ».

Porro, in causis boni publici etsi contentiosis, sicuti sunt causae matrimoniales, Iudex agere debet sicut in criminalibus; non enim in eis agitur de iuribus privatis tantummodo, sed de iuribus totius communitatis, quae universaliter intersunt.

Quare, iurisprudentia causas matrimoniales, quoad ea quae in praesenti studio examinantur, analogice considerat ac causas criminales, et Codex potestatem Iudicis notabiliter extendit, ut ex dicendis melius patebit. In una *Nullitatis Matrimonii* citata [49], ait S. R. Rota: « Futilis est ratio (nullitatis sententiae) desumpta ex praetensa libelli mutatione, quasi actor petierit dispensationem a matrimonio rato et non consummato, et iudex decreverit non constare de nullitate matrimonii ex capite vis et metus. Etenim, actor petiit quidem verbis valde impropriis... etsi expresse non petiit nullitatis declarationem ex capite vis et metus, tamen in causis matrimonialibus, *cum agatur de bono publico, iudex ex officio supplere potest ignorantiae et negligentiae actoris, quando ex libello, vel ex processu appareat matrimonium aliquo impedimento contractum fuisse...* Nulla pariter quaestio esse potest quoad omissionem litis contestationis, praesertim quia... accusato impedimento et audita altera parte iam iudicii obiectum est determinatum ». Unde, etiamsi partes impedimentum tegere, ob suas rationes, voluerint et matrimonii nullitatem ex alio capite accusaverint, Iudex, ratione boni publici, ex officio pronunciare potest et quandoque debet, iuxta acta et probata, etiam ultra expresse petita, si ex processu detectum, et ideo non accusatum, impedimentum in lucem prodeat. Quod congruere abunde videtur cum casu proposito, in quo etiam impedimentum impotentiae ex una parte ignoratum et ex alia tectum fuerat et ex processu innotuit: potuisset igitur Iudex pronuntiare super illud impedimentum etiam lite formaliter non contestata sed consentientibus partibus et vinculi Defensore.

Immo, tenet iurisprudentia productionem libelli non esse sub poena nullitatis requisita, dummodo constet de animo litigandi actoris. Ita in una *Diffamationis, Incidentis* [50], ait S. R. Rota: « Productio libelli appellatorii haud videtur Can. 1884 § 1 requisita sub poena nullitatis, tum perpenso tenore legis, tum quia attentis textu sententiae appellatae et recursu ad Tribunal superius iam patet de intentione appellantis, ac defectus ille facile suppleri deinde potest si occurrat ».

In alia autem *Lycien, Nullitatis Matrimonii, Incidentis* [51] edicit

[49] S. R. Rota, *Nullitatis Matrimonii*, 28 ian. 1918, coram Sebastianelli.

[50] S. R. Rota, *Diffamationis, Incidentis*, 29 ian. 1936, coram Jullien.

[51] S. R. Rota, *Lycien., Nullitatis Matrimonii, Incidentis*, 27 nov. 1937, coram Jullien.

S. R. Rota posse Iudicem in causis matrimonialibus ex officio procedere, non posse vero sub colore officii proprio arbitrio causas matrimoniales absque legitimo actore coram Tribunali suo introducere: « Introducta accusatione... Iudex munere suo fungitur, seu ad normam Can. 1709 ss. procedit. Cum autem causae istae matrimoniales publicum Ecclesiae bonum et animarum salutem respiciant, Iudex *etiam ex officio* procedere potest, quo melius administretur iustitia ad pertractandam causam introductam (Cann. 1618-1619). At vero, ut par est, vi Can. 1618, Iudex sub colore officii nequit proprio arbitrio introducere coram Tribunali suo causas matrimoniales absque legitimo actore, cfr. Can. 1970 ». Hinc intelligitur non posse Iudices - quod evidens est - ex officio *primo* introducere causas matrimoniales, quarum nullitas non fuerit accusata, id prohibente Can. 1970. Siquidem accusatio quaedam et generica semper requiritur, ut saltem statuatur relatio iuridica processualis inter Iudicem et partes: quod ex dicendis melius apparebit. At non deest accusatio, quando actor proprio libello nullitatem matrimonii sui, etsi forma impropria saltem facta enarrando, denunciavit, et prout ipse sciebat, indicavit caput nullitatis iuxta eum tractandum [52].

---

[52] Contrarium videtur tenere Decretum Tribunalis Vicariatus Urbis 14 mart. 1946; sed apparens contrarietas facile explicatur. Revera, Decreto illo Iudices appellationis sententiam primi gradus ad Tribunal primae instantiae remiserunt « ut ipsum, servatis de iure servandis, ... nullitatem actorum et sententiae declaret ». Agebatur enim de causa ob vim et metum primitus accusata; lite cotestata, cum ex depositione actricis dubium exortum fuerit de defectu formae, accedente instantia Advocati « ut ad rem investigationes peragerentur », Tribunal primae instantiae, relicto capite accusato de vi et metu sine nova dubii concordatione, instructoriam confecit de defectu formae et sententiam protulit, constare de nullitate matrimonii ex defectu formae. Porro, Decretum Tribunalis Vicariatus Urbis notat: « Tribunal primae instantiae sententiam quoad vim et metum emittere legitime non poterat nec debebat (ideoque non fecit, cum nullam instructoriam de hoc capite confecerit)... Quando agitur de perpendènda nullitate matrimonii initi inter duas determinatas personas, si plura nullitatis capita, vel una simul in eodem libello, vel successive in variis iudicii phasibus (quo in casu, ad normam art. 219 § 1 Instructionis S. C. de Sacramentis diei 15 augusti 1936 procedendum est), adducantur, tot sunt causae principales quot capita allata, licet causae sint inter se connexae: ... Quapropter, in dubii concordatione praesentis causae, ... litis contestatio non valuit nisi quoad caput illud, de quo in libello ab actrice exhibito atque a Tribunali admisso verbum factum est. Procurator autem non potest valide accusare nisi quoad capita, pro quibus mandatum habuit ». Quod omnino verum et certum est. Quapropter, cum de facto Procurator revera non accusaverit novum caput nullitatis sed tantum petierit ut ad rem investigationes peragerentur, « nulla exinde accusatio seu petitio declarationis nullitatis matrimonii ex defectu formae... Ideo Iudices primae instantiae videntur processum construxisse *sine actore*, in eoque sententiam dedisse super quaestione incidenti, praetermissa principali ». Haec ultima verba Decreti verissima videntur utpote quae Decretum plene iustificant et sententiae nullitatem apprime demonstrant. Quoad enim factum, quod Iudices pri-

12. Forma enim libelli non interest, nisi quatenus possit a Iudice reiici; substantia autem est, ut quomodocumque habeatur certitudo de intentione actoris standi in iudicio litem movendi causa. Unde defectus libelli, si habeantur ex forma, sanantur.

Ita in una *Dubuquen., Nullitatis Matrimonii* citata [53], ait S. R. Rota: « Notandum est Iudicem in certis casibus (cfr. Can. 1707 §§ 1 et 2) abstrahere posse ab observantia Can. 1706, praescribentis, ad instituendam causam, exhibitionem alicuius formalis libelli scripti, atque admittere posse introductionem alicuius causae per petitionem oretenus factam, quo in casu « iudex notarium iubeat in scriptis actum redigere qui actori legendus est et ab eo probandus » (§ 3 cit. Can.). Si igitur quis absque legitimo mandato exhibuerit Tribunali libellum pro aliqua altera persona, et si deinde haec altera persona coram Iudice oretenus repetit petitionem in libello contentam, tunc nequit sustineri sententiam, post causae introductionem latam, esse nullam ob libellum a procuratore speciali mandato non munito exhibitum. Praescribitur quidem pro causis communibus et pro circumstantiis ordinariis (exceptiones cfr. in Can. 1707 §§ 1 et 2) exhibitio libelli iuxta normas statutas exarati (cfr. Can. 1706): *sed non id sub poena nullitatis statutum est;* iamvero « irritantes... » (Can. 11). *Merus igitur defectus libelli scripti non secumfert nullitatem iudicii et sententiae*, quando pars actrix in iudicio oretenus causam introduxit... Si proinde causa aliqua matrimonialis a neutro coniuge instituitur, sed si qui parochus Tribunali competenti libellum exhibet, videndum est, utrum parochus agat uti procurator ab alterutro coniuge legitime constitutus, an potius intenderit nullitatem matrimonii Ordinario vel Promotori iustitiae denuntiare, et an Promotor iustitiae deinceps partes actoris egerit. Quodsi neutrum verificatur, patet nullam adhuc haberi legitimam introductionem causae, cum neque coniux neque procurator speciali mandato munitus Iudicem adierit. Sin autem Iudex, libello illo recepto, citat partem quae iuxta libellum exhibitum esset pars actrix, et *si haec in sua excussione orali coram Iudice saltem indirecte confirmat informem libellum exhibitum et directe per se ipsa petit declarationem nullitatis sui matrimonii*, tunc rationabiliter dici nequit sententiam in fine iudicii latam esse

---

mae instantiae sine actore processum construxisse viderentur, cfr. quae optime dicuntur a S. R. Rota in *Dubuquen., Nullitatis Matrimonii*, 12 nov. 1949, coram Wynen, pluries citata. Nam in illo processu, accusatio illegitima ex parte parochi, legitimo mandato experti, sanatur ex confirmatione partis actricis in sua excussione orali. Quare, non omnia in Decreto Tribunalis Vicariatus Urbis probanda videntur, et sententia ab eo impugnata *non nulla*, sed *inexistens* revera dicenda est.

[53] S. R. Rota, *Dubuquen., Nullitatis Matrimonii*, 12 nov. 1949, coram Wynen, *Inedita*.

nullam ob invalidum libellum exhibitum. Esto quod ipse libellus scriptus sit nullius valoris iuridici; esto quod in causa matrimoniali non agatur de causa « minoris momenti » (Can. 1707 § 2) neque constet, partem legitime impeditam fuisse « quominus libellum exhibeat » (§ 1 cit. Can.); *nihilominus habetur legitima accusatio ab ipso coniuge facta*, quin accusatio oretenus facta a iure declarata sit nulla et invalida... Libellus a Sac. C. (in casu) exhibitus iuridice nullus est (quia ipse agebat tamquam parochus actricis sed neque mandatum habebat procuratorium neque nullitatem matrimonii Ordinario aut Promotori iustitiae denuntiavit) neque potuit introducere causam nullitatis matrimonii M.-G. (de qua causa agebatur). Quamvis autem exhibitio libelli, et quidem validi, iure merito praescribatur, ut nempe Iudex videre possit de propria competentia et de fumo boni iuris, tamen *ad essentiam processus non pertinet*, cum in certis casibus abstrahi valeat a libello scripto atque, exceptis determinatis casibus, pars potest in iudicio per se ipsa agere. (De facto) viso libello Sac. C., Iudex Dubuquensis citavit d.nam M., quae, interrogata: « che cosa chiede a questo Tribunale? », respondit: « Il privilegio di risposare. Una sentenza di annullamento »; atque deinde indicavit nomina testium et provocavit ad testimonia in libello Sac. C. relata. *Verus processus canonicus initium cepit ad hisce dictis actricis, quae oretenus coram Iudice (ita) accusavit suum matrimonium de nullitate.* Libellus proinde informis non fuit nisi *occasio* introducendae causae, quae iuridice ab ipsa actrice in iudicio instituta est. Quare defectus validi libelli, postea sanatus, nequit adduci uti causa insanabilis nullitatis sententiae post causae introductionem latae ».

Adhuc in recentissima *Sancti Andreae et Edimburgen., Nullitatis Matrimonii* [54], edicit S. R. Rota: « Asserta nullitas ex defectu libelli *nulla lege nititur*. Etenim dummodo, uti maxime in matrimonialibus causis contingit, obiectum litis ac partes manifestae sint, satis est ut Iudex valeat ea quae ad causam instruendam necessaria sint perfici iubere... » [55].

13. Ex his igitur, quae hucusque retulimus de iurisprudentia rotali, haec, ad modum conclusionis, desumimus:

1) formalis et scriptus libellus non requirebatur in antiquo processu summario: inde ad essentiam iudicii non pertinet;

2) Iudex potest in pronuntiatione sententiae aliam decernere et applicare poenam, quam quae ab accusatore petita fuit, congruen-

---

[54] S. R. Rota, *Sancti Andreae et Edimburgen., Nullitatis Matrimonii*, 25 iul. 1951, coram Filipiak, *Inedita*.

[55] Provocat sententia ad illam *coram* Wynen, *Dubuquen.* nuper relatam, et addit in casu, de quo agebatur in sententia, sufficiens fuisse petitionem generalem et genericam actricis « de instaurando processu », quae locum libelli tenebat.

tem delicto de quo reus convinctus fuit in iudicio; nec ita Iudex dici potest ultra vel extra petita iudicare;

3) sententia necessario conformis esse debet non proprie libello sed litis contestationi, seu melius intentioni actoris litis contestatione confirmatae;

4) in causis matrimonialibus, cum agatur de bono publico, Iudex ex officio supplet ignorantiae et negligentiae actoris, quando ex libello, *vel ex processu*, appareat matrimonium aliquo impedimento contractum fuisse;

5) exhibitio libelli iuxta normas statutas non praescribitur sub poena nullitatis, ideoque merus defectus libelli scripti non secumfert nullitatem iudicii et sententiae;

6) defectus libelli sanantur tum litis contestatione legitima, tum si actor in sua excussione orali coram Iudice saltem indirecte confirmet informem libellum exhibitum et directe per se ipse petat declarationem nullitatis matrimonii sui;

7) litis contestatio et consequens instructoria legitimae sunt, etiam si fiant ex officio, in causis boni publici;

8) nullitas processus et sententiae ex defectu libelli nulla lege innititur, dummodo obiectum litis et partes manifesta sint.

Porro, hisce conclusionibus adhaeremus. Affirmamus quidem iure naturali petitionem iudicialem, saltem genericam, necessariam esse ut initium habeatur processus; sed haec non necessario consistere debet in formali libello scripto, qui contineat expresse non solum factum sed ius quoque facto applicandum. Quare, si lite instaurata iam ex processu emergit novum caput accusationis, non videtur necessaria nova accusatio sed, si agatur de causa boni publici, potest Iudex, praemissis saltem citatione et litis contestatione, instructoriam etiam ad novum hoc caput extendere ex officio.

14. Ad solutionem propositi casus tandem aliquando revertentes, nonnulla maximi ponderis notamus, facto ius applicando.

Etenim actrix suo libello initiali clare et formaliter ministerium iudicis invocaverat, ad effectum declarationis nullitatis matrimonii sui cum convento, et facta enarraverat prout ipsi cognita tunc erant: quare, declarationem nullitatis expetiverat ob perversam mariti voluntatem filios omnino a matrimonio excludendi; sed, evidenter, ad obtinendam declarationem nullitatis expetitam, nullum aliud nullitatis caput excludebat, quod ipsa quidem tunc temporis indicare expresse non poterat, ignara cum esset iuris iurisque subtilitatum, quodque tamen Iudices relevare poterant ex officio sive in limine litis (Can. 1729) sive etiam lite pendente, ad sensum art. 219 § 1 Instructionis pluries citatae. Inhibitio enim generalis iuris: « lite pendente, nihil innovetur », prohibet quamcumque innova-

tionem, qua uni ex litigatoribus, actori sive reo, praeiudicium inferatur circa ius controversum, donec lis ad finem perducta fuerit [56].

Quare, inhibitio effectum non producit nisi habeatur vel timeatur praeiudicium. Quando autem partes in innovationem consentiant, praeiudicium, si quod exsistat, non attenditur: scienti enim et consentienti non fit iniuria. Et nisi partes aliquid excipiant, censentur iuri suo, si quod habeant, renunciasse. Quodsi actrix, tempore quo libellum rite confectum Ordinario loci et Tribunali competenti obtulit, medicales cognitiones habuisset, ex quibus dubium saltem de impotentia viri eiusque fraude in mentem ei venisset, certe matrimonii nulllitatem etiam ex hoc capite accusasset.

Cum igitur, per libelli oblationem, per citationem, et per primam litis contestationem, relatio iuridica processualis partium inter eas et cum Iudice statuta firmiter esset, in cumulando actiones ex connexione causarum, ad oeconomiam dumtaxat et temporis et expensarum, noluit Iudex, iuxta ea quae hucusque dicta sunt, omnia ab initio denuo imponere cum accusatione formali et scripta, cum citatione et omnibus praesuppositis processus, utpote quae certe necessaria essent pro constitutione relationis iuridicae processualis; qua constituta, reduntantia evaderent atque excedentia. Quapropter has formalitates omisit ut non necessarias, cum omnia processus praesupposita nota essent.

Iam enim factorum expositio aderat, quae, evidenter generica ut ius requirit, abunde in suis particularibus et adminiculis ab instructoria lucem receperat. Libelli igitur necessaria « genericitas » eliminabatur a Iudice ope iam effectae instructoriae, quae, utpote iam publicata, aliquam iuris et facti notorietatem produxerat.

15. Canonistarum praeterea communis doctrina, necnon et, ut iam vidimus, canonica iurisprudentia, retinent non necessario libellum continere debere titulum iuris seu caput assertae nullitatis praecise et exacte indicatum.

Siquidem, « in libello est pars substantialis circa rem determinate petitam (scil. circa declarationem nullitatis matrimonii, in casu, quocumque ex capite id obtineatur); at plura alia vel sunt exornativa vel accidentalia. Veluti quae respiciunt rationem probandi actionem, et certa facta quae asseruntur esse iuris demonstrativa... *et ipsa causa petendi seu titulus iuris* possunt haberi quasi accessoria petitionis ex modo quo ponuntur in libello [57]. Unde certa regula dici non potest quaenam in libello actoris sint substantialia et accidentalia sed attendi debet textus libelli et negatio aut con-

---

[56] S. R. Rota, *Mauranen., Nullitatis Matrimonii*, 13 iul. 1918, coram Prior.

[57] Cfr. Reiffenstuel, in tit. *De Oblatione libelli*, n. 26 ss.

tradictio a reo apposita in *lite* instauranda »[58], praeter alia omnia elementa quae ex causa emanant. « Non est necesse ut actio qua actor ius suum declarari cupit definito nomine indicetur; in iure enim canonico numerus actionum certis formulis non finitur »[59]. Eo magis certa haec doctrina, quatenus Iudex corrigere debet quod iuris actor erronee posuit in libello: « Si ius erronee (in libello) allegetur, correctio incumbit Curiae; siquidem iura novit Curia »[60].

Sententia *praecisius*, ut abunde deducitur ex responsis iurisprudentialibus, non libello, sed litis contestationi conformis esse debet; dubio enim respondet in contestatione litis concordato.

16. At nonne ita haberetur Iudex sine actore? Verum est axioma iuridicum: nemo Iudex sine actore. Sed in casu proposito iam partes et Iudex se mutuo cognoscunt, et illa quaedam mutatio in libello fit in propria sede, cum, ex praescripto Can. 1731, quaestio de *mutatione* libelli facienda sit in litis contestatione[61], et intervenientibus et consentientibus omnibus quorum interest.

Porro, cum in causis boni publici Iudex procedere possit etiam ex officio (Can. 1618) et insuper etiam probationes quas actor non affert, et exceptiones quas conventus non opponit, possit et debeat supplere (Can. 1619)[62], bene potuit Collegium ex iis omnibus quae ex libello et instructoria collecta erant, firma manente substantia libelli quoad petitam declarationem nullitatis matrimonii, proponere ut, auditis et consentientibus partibus et vinculi Defensore, dubium ad novum caput nullitatis probandae extenderetur. Quod factum est in propria sede, nempe in litis contestatione, in qua actiones connexae cumulatae sunt, ad oeconomiam dumtaxat iudiciorum.

---

[58] Lega-Bartoccetti, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, II, Romae, 1939, pag. 562-563.

[59] Vermeersch-Creusen, *Epitome Iuris Canonici*, III, Romae, 1928, pag. 54; cfr. etiam Conte a Coronata, *Institutiones Iuris Canonici*, III, Taurini, 1941, pag. 143.

[60] Beste, *Introductio in Codicem*, Collegeville, 1948, pag. 811.

[61] Cfr. Lega-Bartoccetti, ibid., pag. 515. Ita etiam in casu de quo in nota (52) circa Decretum Tribunalis Vicariatus Urbis: partes iam notae erant, relatio iuridica constituta erat, actrix in sua orali depositione acceptavit novum caput nullitatis et instetit ut super defectum formae fieret inquisitio Tribunalis: non igitur Tribunal construit processum *sine actore*. Sed sententia, quae data est, potius interlocutoria videtur, veluti in incidenti lata, ideoque *non existit* sententia definitiva in casu. Quodsi Iudices primi gradus novum dubium rite concordassent (quod reapse non fecerunt), sententia illa, iam non amplius interlocutoria, sed definitiva habenda fuisset.

[62] Utique verum est « procedere ex officio toto caelo differre a procedere sine actore »; sed hic proprie contendimus Iudices non processisse sine actore; non enim ex officio supplerunt *praesentiam* actoris, sed tantum eius deficientiis subvenerunt.

Iure enim communi, quando agitur de continentia causarum seu de causis connexis, Iudex competens circa causam principalem fit etiam competens circa causam accessoriam connexam, licet aliunde circa ipsam posset non esse competens. Quod principium, ortum ex Iure Romano, admissum etiam fuit in iure canonico, ut omnes antiqui docebant Canonistae [63] et receptum in Codice (Can. 1567). Rationes, quibus in utroque iure principium assertum fuit, ita in una *Refectionis damnorum* [64] exprimuntur a S. R. Rota: « 1) ne in infinitum protrahantur lites; 2) ut parcatur sumptibus processuum; 3) quia Iudex qui omnem operam et studium impendit in cognoscenda causa principali, censetur etiam aptior ad cognoscendam causam incidentalem (seu quomodolibet connexam et accessoriam); 4) quia sic evitatur periculum, ne prodeant sententiae contrariae ». Haec ultima ratio obtinet praesertim, quando cognitio unius causae ad cognitionem alterius confert, vel sententia lata in una esset alteri praeiudicialis, aut contradictionem parere posset cum ea per alterum Iudicem ferenda [65]; potissimum vero quando diversae causae speciales continentur sub una generali actione [66]. Quapropter, connexio seu continentia causarum Iudicem, aliunde fortasse incompetentem, competentem reddit, nisi de incompetentia absoluta Iudicis res sit, vel nisi aliud expresse a iure caveatur [67].

Nec omnino, in casu proposito, praetergressi sunt Iudices limites Can. 1731; libellus enim non censetur mutatus, si facti adiuncta in libello pridem posita ita illustrentur, compleantur aut emendentur, ut controversiae obiectum (declaratio nempe nullitatis matrimonii) idem remaneat. Dubicrum formula non vere mutata sed extensa fuit et quidem novo decreto, ex gravi causa auditis et consentientibus iis quorum interest, et in commodum partium (Can. 1729 § 4), non in earum praeiudicium, ita ut exsulet quaelibet suspicio attentati (Can. 1854 § 1).

Legitur apud Lega-Bartoccetti [68]: « Iudex edicere non valet mutationem (dubii aut quoque libelli) nisi hanc petat pars cuius interest, aut Promotor iustitiae vel vinculi Defensor, audita tamen utraque vel adversa parte. Quid si altera aut utraque dissentiant? Quia canon tantum expostulat audiri partes... etsi haec dissentiat

---

[63] Cfr. Reiffenstuel, in tit. *De foro competenti*, n. 144-148; Pichler, in eumdem tit., n. 99-100; Engel, in eumdem tit., n. 77-82; Schmalzgrueber, in tit. *De iudiciis*, n. 72-75.

[64] S. R. Rota, *Refectionis damnorum*, 16 maii 1913, coram Many.

[65] Cfr. De Luca, *De iurisdictione*, disc. 76 n. 5.

[66] Cfr. Reiffenstuel, lib. II, tit. II, n. 144.

[67] Cfr. S. R. Rota, *Crediti, Incidentis de competentia*, 29 dec. 1931, coram Parrillo.

[68] Op. cit., pag. 562.

nihilominus Iudex mutationem ex iusta et gravi causa decernere valet; *hoc sane in causis bonum publicum attingentibus seu bonum spirituale cui partes renunciare non valent. Etiam ex officio* a Iudice in hisce causis, audito tamen Promotore iustitiae aut vinculi Defensore, mutationem decernere valet etiam si Promotor iustitiae aut vinculi Defensor dissentiant ».

Quaestio igitur de potestate iudicis ex officio agendi etiam non consentientibus aut dissentientibus partibus et publico ministerio, dummodo ne fiat in praeiudicium partium, in tuto est collocata.

17. Audiatur adhuc Hanssen [69]: « Ad substantiam libelli litis introductorii pertinet:... b) Ministerium Iudicis invocari nequit, nisi ius persequendum aliquomodo indicetur. Verum petitio, quae non est sufficienter determinata ad normam Cann. 1706, 1708, non est proprie nulla sed potius inepta et qua talis a Iudice redicienda. Nam petitio insufficienter determinata effectum habet, ut relatio iuridica constituatur inter partem petentem et Iudicem; huiusmodi petitio enim simpliciter praeteriri nequit sed attendenda est a Iudice et reiicienda. *Neque petitio insufficienter determinata nullam reddit citationem: nam citatio propria habere debet elementa, quae Iudex non necessario haurit ex libello vel petitione formali sed etiam ex posterioribus declarationibus vel notoriis vel aliunde notis;* tantummodo, si Iudex *contra actoris voluntatem* obiectum *substantialiter* mutaverit, restrinxerit, ampliaverit, citatio est nulla. *Neque petitio insufficienter determinata nullam reddit litiscontestationem, quae ad petitionem refertur.* Licet hoc casu litiscontestatio sit nulla (seu melius: possit esse nulla), nullitas potius est originaria litiscontestationis, quam derivata a libello; libelli enim est litem introducere et provisorie determinare, litiscontestationis vero ambitum iudicii statuere.

c) *Defectus scripturae petitionem iudicialem non reddit nullam, quia scriptura non pertinet ad sollemnitatem petitionis;* est quidem ratio petitionem reiiciendi seu potius praecipiendi, ut scriptura exhibeatur in causis difficilioribus et maioris momenti, si actor scribere queat (Can. 1707). Immo etiamsi a notario in scriptis redacta non fuerit, tamen valet petitio. Igitur *reus validitatem citationis impugnare nequit, co quod libellus non existat,* neque petitio in actis redacta sit, dummodo petitio possit probari ».

Ex hucusque dictis perfecta apparet concordantia iurisprudentiam inter et doctrinam, formalem scil. accusationem per formalem libellum scriptum non esse ad processus et sententiae validitatem requisitam.

---

[69] Art. cit. *Apollinaris*, 1938, n. 79, pag. 384-385).

18. Concludentes igitur, quoad « assertam » insanabilem nullitatem ex defectu accusationis, dicemus.

Neque Can. 1970 neque Can. 1892 continent sanctionem nullitatis, qua sententia, de qua in casu, affici possit. Prior enim canon prohibet quidem quominus Tribunal collegiale causam matrimonialem cognoscere vel definire audeat, nisi regularis accusatio vel iure facta petitio praecesserit; sed quia nullam continet sanctionem nullitatis, non potest considerari veluti lex irritans aut inhabilitans (cfr. Can. 11). Multae enim sunt leges prohibitivae quae tamen non pariunt nullitatem actorum. Nulla esset praeterea « absoluta » necessitas scriptae et formalis accusationis in casu, in quo omnia litis elementa iam nota erant. Insuper, in casu specifico vera habetur accusatio regularis in libello actricis initio controversiae Tribunali rite exhibito: qui, etsi indeterminate et generice, cum ex posterioribus (ex instructoria scil.) lucem recipiat, occasionem praebuit Collegio proponendi extensionem dubii ad aliud caput nullitatis et consequenter, facta de more concordantia, cumulandi ex novo titulo novam actionem priori iam existenti. Extensio autem et concordantia legitime facta sunt ex officio, praesentibus et consentientibus partibus et vinculi Defensore, ad sensum art. 219 § 1 Instructionis 15 aug. 1936, et iuxta ea quae hucusque diximus. Et obvium est. Siquidem, actio essentialiter distinguitur ab accusatione, nec ab ea dependet quoad substantiam sed tantum quoad formam; accusatio enim « è una ritualità assorbita dal dubbio concordato » [70].

Sed neque Can. 1892 nullitates ullo modo afficere possunt praesentem casum. Non enim sententia impugnata lata est a Iudice *absolute incompetente*. Etenim nemo sanae mentis audebit arguere de absoluta incompetentia Iudicis, qui, in rebus suae competentiae iam praecedenti instructoria consolidatae atque confirmatae, ad litis contestationem super novum caput nullitatis procedit, ratione connexionis et praesentibus et consentientibus partibus et vinculi Defensore, ita ut omnino exsulet idea de quolibet attentato (Can. 1854).

Coeterae Can. 1892 nullitates valde distant a casu praesenti.

Quoad, denique, querelam nullitatis, nullitates Can. 1892, nempe insanabiles, proponendae sunt, iuxta Can. 1893, vel per modum exceptionis coram quolibet Iudice, vel per modum actionis coram Iudice qui sententiam tulit. Age vero. Propositio huius « praetensae » nullitatis casus considerati evidenter non potest dici per modum actionis facta. Num igitur agi possit de exceptione nullitatis, videant Iudices secundi gradus, nisi obstent limites competentiae ex functione. Cum enim norma Can. 1893, quod sententiae nullitas insanabilis a Iudice qui sententiam tulit declaranda sit, limites ra-

[70] Cfr. D. Lazzarato, *Azione matrimoniale ed accusa ex officio* (*Rassegna di morale e diritto*, 1940, pag. 106).

tione gradus spectet, seu melius certas functiones intuitu boni publici certis Iudicibus tribuat, videtur derogari non posse [71].

Addemus ultimo non posse Iudices appellationis passivos veluti se tenere, sed ipsos obligari ad *quantocius* appellationem aut admittendam aut reiiciendam, adiectis in hoc altero casu reiectionis causis (Can. 1709 § 1), ideoque proprio decreto (§ 2), contra quod patet recursus ad superius Tribunal (§ 3). Pariter possunt Iudices huiusmodi appellationem reiicere, acta et sententiam ad Iudices primi gradus remittendo, ut isti « praetensam » nullitatem rite declarent, idque in decreto reiectionis appellationis exprimere necesse est. Secus, Iudices appellationis iustitiam minime recte administrare dicendi sunt.

Prof. Augustinus Pugliese
e Comm. Stud. S. C. de Religiosis

---

[71] Cfr. Roberti, *De legitimatione ad causam, nullitate sententiae et competentiae* (*Apollinaris*, 1932, pag. 106-108).

JUS ECCLESIASTICUM

ITALIA

LEGISLAZIONE

MIGLIORAMENTI ECONOMICI AL CLERO CONGRUATO (*Circolare del Ministero dell'Interno, Direzione generale del Fondo per il Culto, Div. I, Sez. AA. GG., 9 giugno 1952, n. 107, prot. n. 113 Ris., diramata agli Uffici provinciali del Tesoro*).

Con la legge del 17 maggio 1952, n. 563, pubblicata nella *Gazzetta Ufficiale* del 7 giugno 1952, n. 131, ai limiti di congrua, agli assegni per le spese di culto ed agli assegni fissi spettanti al clero in virtù delle disposizioni contenute nel r. d. 29 gennaio 1931, n. 227, ed in applicazione della legge 29 luglio 1949, n. 494, è stato apportato, a decorrere dal 1° luglio 1951, un aumento del 50% in aggiunta a quello, di pari misura, disposto dalla legge 30 novembre 1950, n. 998.

Di conseguenza, i limiti di congrua e gli altri assegni di cui sopra, in vigore al 1° gennaio 1949, risultano raddoppiati.

Appositi ruoli di variazione ai conti correnti saranno emessi da questo Ministero, come per il passato, per la pratica esecuzione di tale nuovo aumento.

Frattanto, allo scopo di non frapporre ritardi nel pagamento dell'aumento stesso, si dispone, d'intesa col Ministero del Tesoro (Direzione generale del Tesoro), che gli Uffici provinciali del Tesoro provvedano subito a corrispondere a favore dei titolari dei benefici congruati la maggiorazione in parola.

Le partite di spese fisse sulle quali la maggiorazione va apportata sono le seguenti:

quelle iscritte sui conti correnti del cap. 28 del Bilancio del Fondo per il culto, ad eccezione di quelle riguardanti i pensionati, gli amministratori ed i professori dei seminari teologici con trattamento ex regime austro-ungarico;

quelle iscritte sui conti correnti del cap. 28 in favore degli economi spirituali prestanti servizio in benefici che non godono di alcun assegno ex erariale o per decime abolite;

quelle iscritte sui conti correnti del cap. 17 del Bilancio Fondo di beneficenza e di religione nella città di Roma.

Le partite iscritte su altri capitoli del Bilancio del Fondo per il culto sono escluse da tale immediata maggiorazione, dovendosi attendere per esse l'emissione di appositi ruoli di variazione.

Tenuto conto che i nuovi aumenti hanno decorrenza dal periodo 1° luglio 1951-31 marzo 1952, data di scadenza dell'ultima rata già corrisposta, e sarà, pertanto, pari a tre quarti dell'aumento annuo concesso, riportato, per ogni singola categoria del clero, sulla colonna H dell'unito prospetto.

GRADI DEL CLERO CONGRUATO	Stabiliti dalla legge 17-5-1952, n. 563 50% 1-7-1951	Differenza fra il precedente limite e quello stabilito dalla nuova legge H
Arcivescovo di sede metropolitana . .	864.864,—	216.216,—
Vescovi, Abati, Prelati.	816.816,—	204.204,—
Canonici - Prima e seconda dignità . .	192.192,—	48.048,—
Canonici - Altre dignità	168.168,—	42.042,—
Canonici semplici.	144.144,—	42.042,—
Beneficiati minori.	96.096,—	24.024,—
Parroci	168.168,—	42.042,—
Vicari Curati autonomi	96.096,—	24.024,—
Economi spirituali	60.060,—	15.015,—
Spese di culto ai titolari di parrocchia .	25.225,20	6.306,30
Idem ai titolari di Vicarie Curate autonome	14.414,40	3.603,60

Così, per esempio, ad un parroco regolarmente nominato prima del 1° luglio 1951, dovrà corrispondersi, ora, un aumento di L. 31.531,50 corrispondente come si è detto avanti, ai tre quarti dell'aumento annuo (L. 42.042 : 4 = 10.510,59 × 3 = 31.531,50) e per le spese di culto un aumento di L. 4.737,21 (L. 6.306,30 : 4 = 1.579,07 × 3 = 4.737,21).

Gli aumenti dovranno essere pagati dagli Uffici provinciali del Tesoro, al netto della tassa di bollo, senza presentazione del prescritto certificato di prestato servizio.

Gli eventuali conguagli saranno operati, partita per partita, all'arrivo del ruolo.

In ultimo si ritiene opportuno precisare che anche alla prossima scadenza tutti gli assegni di cui sopra dovranno essere corrisposti con l'ulteriore aumento del 50% disposto dalla nuova legge in parola.

ASSICURAZIONI SOCIALI DEI DIPENDENTI DA ISTITUTI DI ISTRUZIONE E DI EDUCAZIONE DI ENTI ECCLESIASTICI (*Circolare dell'Istituto Nazionale della Previdenza Sociale 23 giugno 1951, n. 1323 Obg/109*).

Con circolare n. 8251 Obg dell'11-6-1947, su conformi direttive del Ministero del Lavoro e della Previdenza Sociale, fu sospesa provvisoriamente l'osservanza delle norme sulle assicurazioni sociali nei confronti dei dipendenti da istituti di istruzione di educazione di Enti religiosi in attesa che fossero chiariti alcuni dubbi sorti in ordine alla sussistenza dell'obbligo previdenziale.

Dopo un accurato esame della questione si può ora precisare che la legislazione italiana in materia di previdenza sociale è applicabile anche nei confronti del personale ecclesiastico e laico, dipendente da istituti

di istruzione e di educazione di Enti ecclesiastici con le seguenti avvertenze:

1) non sussiste l'obbligo assicurativo per i sacerdoti insegnanti che prestano l'opera loro in forza di vincolo di ubbidienza, e ai quali quindi non viene corrisposta una effettiva retribuzione. Tali condizioni si presumono esistere nei confronti dei sacerdoti incaricati dell'insegnamento presso Seminari, Collegi ecclesiastici e gli altri istituti che hanno per scopo la formazione e la cultura degli ecclesiastici;

2) Non sussiste l'obbligo assicurativo nemmeno per i Religiosi (ossia per gli appartenenti ad Ordini, Congregazioni religiose e simili) qualora prestino l'opera presso istituti di educazione e di istruzione dipendenti dalla Congregazione ecc., cui i religiosi appartengono, e qualora l'attività sia comunque data in forza del vincolo di ubbidienza, ed il singolo religioso non percepisca quindi alcun specifico compenso in danaro;

3) nei casi in cui i dipendenti degli Istituti in questione rientrino nell'obbligo assicurativo e prestino altresì la loro opera presso scuole pubbliche statali e non statali, l'applicazione della marca assicurativa mensile dovrà esser fatta nei loro confronti da entrambi i datori di lavoro, semprechè costoro non si dichiarino solidalmente responsabili del contributo.

In tal caso l'applicazione della marca in questione potrà esser fatta su una sola tessera a cura di uno fra i datori di lavoro. Per quanto riguarda invece i contributi afferenti al F.I.A.S. e al F.S.S. l'obbligo del versamento dei contributi stessi potrà esser riconosciuto nei confronti di uno dei due datori di lavoro, ove sia dimostrato che l'altro versa già i contributi in questione nei limiti dei vigenti massimali;

4) per quanto concerne gli insegnati, la retribuzione, agli effetti del computo dei contributi, deve intendersi costituita, giusta le istruzioni impartite con circolare n. 2599 Obg dell'11/7/1950, dal compenso orario, dall'indennità caroviveri base e da quanto altro corrisposto a titolo continuativo, ragguagliando il tutto a dodicesimi;

5) fino a quando non sarà emesso il necessario provvedimento di aggregazione, gli istituti di istruzione e di educazione di Enti ecclesiastici, tenuto conto anche del fatto che, per quanto consta, corrispondono ai dipendenti un trattamento di famiglia, non sono tenuti ad applicare le norme relative alla Cassa unica degli assegni familiari.

In dipendenza di quanto sopra, la sospensiva del versamento dei contributi, stabilita per i predetti dipendenti con l'anzidetta circolare dell'11/6/1947, è revocata.

Il pagamento dei contributi correnti deve esser ripreso col 4 luglio p. v. All'uopo gli istituti di istruzione e di educazione di Enti ecclesiastici provvederanno alla regolarizzazione delle posizioni assicurative dei propri dipendenti e al versamento dei contributi dovuti ai Fondi di integrazione e di solidarietà sociali, a far tempo della data sotto la quale risultano sospesi gli adempimenti di legge per ciascun dipendente, sia anteriormente sia posteriormente all'11/6/1947.

Per quanto si riferisce alla sistemazione degli arretrati, gli Istituti sono tenuti solo al versamento degli interessi tecnici al 4.50% sull'impor-

to corrispondente all'ammontare dei contributi per l'assicurazione invalidità, vecchiaia e superstiti (base). Le sedi provinciali sono autorizzate a consentire dilazioni di pagamento fino ad un massimo di 36 mensilità, a decorrere dal 1° luglio 1951 calcolando — in via eccezionale — gli interessi di dilazione nella misura del cinque per cento (5%).

Ai fini del regolamento del periodo arretrato gli Istituti presenteranno i necessari mod. I. P. 41, integrati da appositi elenchi nei quali, oltre ai dati anagrafici dei dipendenti, sarà indicato il periodo od i periodi di occupazione di ciascuno e la retribuzione mensile o settimanale corrisposta.

Le Sedi porteranno subito a conoscenza degli Istituti di istruzione e di educazione di Enti ecclesiastici quanto forma oggetto della presente circolare, con invito a ripristinare l'osservanza dell'obbligo assicurativo nei confronti del personale soggetto all'obbligo stesso e a regolarizzare l'arretrato.

CRITERI PER IL RILASCIO, DURANTE L'ANNO 1952, DEI NULLA OSTA PER L'APERTURA DELLE SALE CINEMATOGRAFICHE (*Decreto del Presidente del Consiglio dei Ministri 12 febbraio 1952 - Gazz. Uff. 20 Febbraio 1952, n. 44, p. 703*).

Art. 1. - Per la concessione dei nulla osta di cui all'art. 21 della legge 29 dicembre 1949, n. 958, durante l'anno 1952 saranno osservati i seguenti criteri:

(*omissis*)

3) per le concessioni di nulla osta concernenti sale cinematografiche parrocchiali il rapporto limite è di un posto cinema parrocchiale per ogni 20-30 abitanti, da determinarsi in base alla frequenza media degli spettatori in ciascun Comune.

(*Omissis*).

GIURISPRUDENZA

CASS. CIV. Sez. Un. 16/7/51 n. 1976 - Pres. Ferrara - est. Messina. P. M. De Martini (conf.); Proc. Gen. Cassaz. c/ Pizzorno.

Matrimonio - Trascrizione del matrimonio religioso - Impugnativa dinanzi ai giudici italiani - Tassatività dei casi dell'art. 12 - Infermità di mente non riconosciuta con sentenza di interdizione.

I casi previsti dall'art.12 della legge matrimoniale 27/5/1929 n. 847 nei quali non si fa luogo alla trascrizione del matrimonio religioso e per i quali, ove avesse avuto luogo, potrebbe essere impugnata (art. 16), sono tassativi e non consentono interpretazione estensiva o analogica,

Pertanto, disponendo il n. 3 del detto art. 12 che non è ammessa la trascrizione se il matrimonio sia stato contratto da un interdetto per infermità di mente, ne segue che non può impugnarsi, davanti all'autorità giudiziaria italiana, la trascrizione di un matrimonio concordatario per infermità di mente di uno dei coniugi, se tale infermità non sia stata riconosciuta con sentenza di interdizione passata in giudicato prima della celebrazione del matrimonio stesso.

Conseguentemente la sentenza del giudice straniero (austriaco nella specie) che pronunci la nullità della trascrizione per infermità di mente, di un matrimonio celebrato in Italia, secondo le norme del rito canonico, non può avere efficacia in Italia (Art. 797 n. 1 c. p. c.) ai fini della trascrizione nei registri dello stato civile.

CASS. CIV. Sez. Unite. 8 marzo 1952 - Ferrara, Pres. Tavolaro, Est., Eula P. M. (conf.) Proc. Gen. Cassazione c. Cassinotti.

Matrimonio canonico celebrato in Italia tra italiani e trascritto - Moglie divenuta cittadina straniera - Sentenza straniera di divorzio - Inefficacia in Italia.

Quando si tratti di matrimonio canonico contratto in Italia fra cittadini italiani e trascritto nei registri dello stato civile, la riserva di giurisdizione, fatta a favore del giudice ecclesiastico dall'art. 34, 4° comma, del Concordato con la Santa Sede (divenuto norma giuridica interna con la legge 27 maggio 1929 n. 810, e del quale è attuazione l'art. 17 della legge matrimoniale 27 maggio 1949 n. 847) deve ricevere piena applicazione, qualunque sia la causa che dovrebbe condurre all'annullamento o allo scioglimento del vincolo.

La mancanza di giurisdizione del giudice italiano in ordine a tali controversie importa anche l'incompetenza giurisdizionale del giudice straniero, con la conseguenza che la sentenza di divorzio, pronunciata dal tribunale straniero, non può essere dichiarata efficace in Italia per mancanza della condizione richiesta dall'art. 797 n. 1, codice di procedura civile. A parte ciò, la sentenza straniera, che pronuncia lo scioglimento del matrimonio per causa diversa dalla morte di uno dei coniugi, è contraria al nostro ordine pubblico e non può essere dichiarata efficace in Italia nel caso in cui entrambi i coniugi siano cittadini italiani, e a tal fine non ha rilievo che la moglie, dopo la celebrazione del matrimonio in base a disposizione straniera in contrasto con quelle della L. 13 giugno 1912 n. 555 (art. 10), abbia acquistato la cittadinanza di altro Stato. Nè ,infine, giova obbiettare che, nell'ordinamento giuridico italiano, dopo l'emanazione della L. 7 settembre 1905 n. 523, che ha reso esecutiva in Italia la Convenzione dell'Aja 12 giugno 1902 sul riconoscimento delle sentenze in materia di divorzio, ogni contrasto fra il principio della indissolubilità e l'accoglimento di una sentenza estera di divorzio si sarebbe per lo meno attenuato.

CASS. CIV. Sez. I, 29 marzo 1952 n. 872 Pres. Anichini - Est Novelli.

Delibazione - Materia matrimoniale - Competenza territoriale - Sentenza straniera che contenga anche condanna alla restituzione di oggetti.

Sulla domanda diretta a dare esecuzione in Italia alla sentenza straniera che dichiari la nullità di un matrimonio contratto in Italia o la nullità della trascrizione del matrimonio canonico è competente esclu-

sivamente la Corte d'Appello nella cui circoscrizione ha sede l'ufficio di stato civile nei cui registri il matrimonio è stato trascritto e nei quali quindi deve eseguirsi l'annotazione della sentenza, che renda esecutiva la sentenza straniera.

Nè la competenza territoriale così determinata può subire spostamento quando la sentenza straniera, oltre a contenere un mutamento dello stato di diritto, contenga anche la condanna di una parte a prestare o restituire alcunchè all'altra per effetto di tale mutamento e di questa parte della sentenza straniera sia stata richiesta la dichiarazione di efficacia dinanzi alla Corte d'Appello del luogo in cui la condanna alla prestazione deve essere eseguita.

CASS. CIV. Sez. II - 29 febbraio 1052 n. 576. - Mandrioli Pres., La Via Est.

Chiesa di proprietà privata aperta al pubblico - Esercizio del culto - Dipendenza.

L'esercizio del culto in una chiesa di proprietà privata, se venga aperta al pubblico, va regolato dall'Autorità ecclesiastica, e non dal proprietario di essa.

CONSIGLIO DI GIUSTIZIA AMMINISTRATIVA PER LA REGIONE SICILIANA - 31 luglio 1950 - *Pres.* Bozzi, *Est.* Landi - Barrile (avv. Ghera) c. Prefetto Enna e Presidente della Regione Siciliana (avv. dello Stato Raffa).

Confraternite - Ingerenza dell'Autorità civile - Limiti - Controversia tra i Confratelli in tema di *ius sepulchri*. - Intervento del Sindaco del luogo - Illegittimità.

L'autorità civile si limita a riconoscere alle confraternite aventi esclusive o prevalenti finalità di culto la personalità giuridica: esse, sotto ogni altro aspetto, sono sottoposte all'autorità ecclesiastica; per tal motivo, le confraternite, dal punto di vista dell'ordinamento giuridico statuale, devono considerarsi enti di diritto privato.

Quoad *jus substantivum* matrimoniale, pauca leguntur in hoc volumine quae nova dici queant relate ad Decisiones superiorum annorum in hac ephemeride recensitas (aa. 1940, 1941, 1942). Nota tamen dignae, ob varias rationes, videntur Decisiones quae sequuntur.

Decisio XV coram R. P. D. Quattrocolo (negativa) - In themate exclusionis *boni prolis*, affirmat « nullam habendam esse rationem de modo « quo quis, obligatione assumpta, prolem praepedire intendit. Unde « etiamsi libere et affectu maritali et per sexualem penetrationem in « vaginam et ejaculationem in ea perfectam physiologice quis egerit « copulam, et deinceps conceptionem et generationem prolis aliquo « modo frustraverit, aeque omnino se gessit in sensu juris ac si ona- « nistice matrimonio usus esset. Ratio est quia obligatio, quae oritur « ex matrimoniali consensu, quaeque ad matrimonii essentiam pertinet, « non est ad copulam simpliciter, sed ad copulam in ordine ad prolis « generationem » (pag. 133 n. 2).

Decisio XXIX coram R. P. D. Wynen (negativa) breviter sed completa ratione exponit *quidnam ex parte intellectus in contrahentibus requiratur*, ut isti validum consensum elicere possint (pp. 271-273 nn. 2-5).

Decisio XXXI coram R. P. D. Jullien, admissa licet penetratione in vaginam, probatum declaravit defectum eiaculationis intra eamdem (p. 298 n. 2; pp. 299-300 n. 6) ideoque conclusit pro matrimonii inconsummatione.

Decisio XXXVI coram R. P. D. Wynen, occasione sumpta a casu assertae *impotentiae viri ob hypospadiam*, exponit medicorum opiniones circa varios gradus et formas hujus vitii instrumentalis, quod

haud semper causa est plenae incapacitatis ad copulam perficiendam (pp. 337 nn. 2-3). Reapse, sententia declaravit non constare de nullitate nec de inconsummatione matrimonii.

Decisio XLVIII coram R. P. D. Canestri pronuntiat nullitatem ob impedimentum non amplius existens in jure canonico latino a tempore usque Concilii Lateranensis IV (a. 1215), seu *affinitatem secundi generis*, quae est necessitudo inter consanguineos unius conjugis cum consanguineis alterius. Hoc impedimentum adhuc viget apud catholicos orientales ritus graeco-melkitae, cui quidem pertinebat actrix in causa judicio S. R. Rotae subjecta (p. 483 ss.).

Decisio LXV coram R. P. D. Canestri — item affirmativa — respicit quoque jus orientale, ritus tamen maronitarum, in themate *affinitatis ex copula illicita* corrivantis. Hic enim ritus, recepta saeculo XVIII disciplina matrimoniali a Tridentino Concilio statuta, non recepit reformationes a Decreto « Ne temere » et a Codice latino introductas, et ideo servat antiquam notionem affinitatis, quae nempe exsurgebat a copula, sive illicita sive licita, idest matrimonii consummativa (p. 686 ss.).

Decisio LXXVI coram R. P. D. Canestri definit quaestionem assertae *invaliditatis sanationis in radice* matrimonii in ritu protestantico celebrati, fuse exposita distinctione inter conditiones et cautiones ab Ecclesia talibus in casibus impositas ut sanatio in radice concedatur (pp. 815-819 nn. 5-9). Decisio agnovit validitatem concessae sanationis ideoque existentiam validi vinculi coniugalis.

Decisio LXXXVI coram R. P. D. Teodori prima rotalis decisio est, quoad sciamus, quae matrimonium *sovieticum* examinaverit. Sub respectu formae, matrimonium validum declaratum est, quia actor, etsi catholicus, eximebatur a servanda catholica forma celebrationis cum versaretur in loco ubi nullus aderat parochus vel sacerdos catholicus. Sufficientes testes habiti sunt officialis matriculator qui matrimonium juxta legem sovieticam inscripsit, atque vir qui partes ad matriculae officium comitatus fuerat. Potius ratio dubitandi de vinculi validitate erat in formula a sovietica auctoritate adhibita, quae sic sonabat: « N. N. et n. n. promiserunt vitam communem sub eodem cognomine *quamdiu concordes erunt*, et mutuam simul obligationem susceperunt ad alimenta proli praestanda » (p. 946 n. 3). Sed Tribunal, interpellata Commissione pro Russia, firmam tenuit traditionalem Sanctae Sedis praxim, quae ex. gr. etiam in Calvinistarum matrimoniis formulam divortium explicite praevidentem adhibentium, abstinuit a generali declaratione invaliditatis: « inquirendum ergo videtur in singulis casibus, utrum contrahentes praeter formam sovieticam, intentionem habuerint et mutuo expresserint coram testibus contrahendi proprium seu perpetuum matrimonium » (ibid.). Reapse matrimonium validum declaratum est, in casu, ob defectum probationum de consensus matrimonialis inexistentia.

Quod attinet ad *jus processuale* et pressius ad *probationes in causis matrimonialibus*, plura specimina invenimus confirmantia quae ani-

madvertimus in recensendo superiore volumine Decisionum (in hac ephemeride, fasc. II, 1952, pag. 301 et ss.) de plena libertate quam hodiernus judex ecclesiasticus sibi recte vindicat in aestimandis probationibus, canone 1869 C. I. C. nixus.

Itaque, quoad *confessionem judicialem* conjugum, saepe ejus vis probatoria recognoscitur, praesertim in peculiaribus adjunctis.

Sic, praeter adsuetas affirmationes plurimum deferendum esse confessioni metum passi vel simulantis et in genere in omnibus causis de vitiis consensus, iuvat referre nonnullas Decisiones quae etiam super aliis capitibus magnum pondus tribuunt confessioni partis. In Decisione LXXII coram R. P. D. Wynen, in causa impotentiae viri, sic judicatur depositio actricis testantis morbum quo vir laboravit: « Ex testimonio septimae manus actrix apparet omni exceptione maior; « praeterea jam hodie vitam monasticam ducit et sententiam nulli- « tatis sui matrimonii exspectat solummodo ut ingredi valeat claustrum « Sororum a Perpetua Adoratione. Nefas proinde esset de ejus vera- « citate dubitare aut suspicari eam perjuriis viam ad ingrediendam « religionem sibi parare velle » (p. 764 n. 4). Nec dissimiliter judicatur confessio conventi, etsi ob valde diversa motiva: « Omnia suadent « virum quoque conventum ad veritatis leges locutum esse. Vir nempe, « qui utpote acatholicus juxta doctrinam suae religionis post divor- « tium obtentum liber est ad alias nuptias inuendas, nullum habet « interesse personale, ut in judicio et coram peritis exponat falsa, « praesertim cum ejus dicta sint in proprium dedecus; et si quaeritur, « curnam in tribunali ecclesiastico deposuerit, responsio habetur in « ejus declaratione: 'ut tranquillitati conscientiae uxoris consulatur' » (pp. 764-765 n. 5).

Atque in decisione LVI coram R. P. D. Canestri circa affinitatem ex copula illicita, gravissima habetur confessio praesertim conventi de copula ante nuptias habita cum matre actricis, eo quod confessio ista facta est usque a prima instantia processus, dum iste non super affinitate agitabatur, sed super asserto metu actrici incusso. Quare confessio, etsi coram Judice facta, declarata est tamquam tempore non suspecto prolata (p. 588 nn. 10-11).

In Decisione XVIII coram R. P. D. Jullien in contradictione inter libellum et actricis confessionem, ista incunctanter praefertur: « In causa ista — legitur in pag. 155 n. 3 — jam praetermittatur oportet narratio ab « advocato in libello fuse excogitata ».

Quandoque praecisio fieri potest etiam a confessione simulantis, imo concluditur pro simulatione, etiam contra verbum simulantis. Ita, in Decisione LXXI legitur: « Conventus rem in toto negat: 'La (actri- « cem) sposavo con la precisa intenzione di formarmi una famiglia ed « avere bambini..'. Sed conventus sibi fidem non meretur. Homo enim, « abiectis moribus quoad reverentiam et fidelitatem erga uxorem, in « praesenti causa non timuit collusionem actrici proponere, qua rejecta « hinc inde multos induxit testes, quorum plures aperte falsa dicunt, « et solum post conclusum in causa cognatos suos et amicos B addu-

« cere voluit, qui, si vera essent quae dicunt, jam ab initio adducti « fuissent...» (p. 756 nn. 7-8). Reapse matrimonii nullitas declarata est, cum aliunde probatum sit virum omne jus ad prolem exclusisse.

Item in Decisione LXXXIII coram R. P. D. Canestri retenta est exclusio prolis a viro volita, minime obstante ejus denegatione, quae tamen haud constans fuerat (p. 907 et ss.).

Ceterum, Judicum persuasio interdum efformata est de veritate assertorum a parte actrice, etiam cum ista mendax deprehensa est in aliis rebus. Ita in Decisione LVIII coram R. P. D. Heard (p. 615 nn. 3-4).

Quoad *probationem per testes*, grave pondus habet Decisio XX coram R. P. D. Wynen circa rationem recte aestimandi testium verba, quorum contradictiones vel exaggerationes haud semper vel necessario malae fidei tribuendae sunt. « Verum, ita sententiando (i. e. agnoscendo metum ab actrice assertum), Patres nullatenus intendunt acceptare omnia et singula verba depositionum in actis exstantium. E contra declarant non deesse in tabulis processualibus exaggerationes, v. g. in depostione matris, asserentis Ritam pridie nuptiarum ' tutto il giorno ' lacrimas fudisse, et in compluribus aliis depositionibus in hac sententia consulto omissis. At ejusmodi exaggerationes in depositiones testium saepe irrepunt. Nam ' *il ricordo si spoglia dei suoi attributi secondari, così che risorge, nel momento della evocazione, solo l'ossatura principale che ahimè!, il testimone si sforza di rimpolpare, senza accorgersi di completare così la realtà vissuta colla sua immaginazione. Possiamo quindi dire col Tanzi ed il Lugaro, che la evocazione del ricordo consiste nella coesione interna delle tracce elementari. Un avvenimento lascia infatti nel nostro ricordo molte tracce elementari: quanto più intimamente esse rimangono connesse tanto più completa è l'evocazione, mentre, se rimangono nel pensiero tracce disgregate, è l'immaginazione che crea il tessuto connettivo*' (Altavilla *Psicologia giudiziaria*, p. 376). Haec verba « prudentiae plena applicari debent etiam contradictionibus in rebus « secundariis, quae quoque in actis causae non desunt. Sed exaggera« tionibus et contradictionibus quoad circumstantias secundarias non « obstantibus, PP. persuasum habent substantiam rei plene probatam esse » (p. 191 n. 21).

Quoad amplificationes vel variationes testium in ulterioribus instructionibus excussorum, Decisiones XVIII coram R. P. D. Jullien (pp. 154-155 nn. 3-4) atque XXXIV coram R. P. D. Canestri (p. 320 n. 3) probe explicant quomodo non semper neceant intentioni patris actrici et obstent substantiali veritati in judicio assertae.

Etiam testes qui referunt res de quibus siluit pars actrix, interdum acceptantur. Ex. gr. in Decisione LXXXIV coram R. P. D. Quattrocolo legitur: « Neque heic relevat quod ex testibus in judicio alii alia narra« verint, de quibus siluit actrix. Haud enim agitur in casu de attesta« tionibus singularibus singularitate obstativa, qua unum testimonium « alterum excludit. Sane actrix ejusque conjuncti loquuti passim fue« runt de verberationibus et minis, quae non semel sed pluries latae

« fuerunt. Unde haud mirum, quod testes haud cuncti omnes easdem-
« que circumstantias portenderint ab actrice adsignatas, sed eas pro-
« prie tantumque recensueriunt quas singulariter perceperunt. Quare
« unusquisque testis, si fidem meretur, pro suis adsertis probationem
« facit; seu valent diversae attestationes testium singularium de acti-
« bus diversis, ejusdem tamen naturae et ad idem genericum factum
« se referentibus, quatenus adminiculative et conjunctim ipsae concur-
« runt, sese mutuo adjuvando, ad coactionis materiam colligendam et
« ad formidinis factum probandum » (p. 926 n. 7).

Neque semper exiguntur testes ex officio et ab altera parte inducti, sed judex fidem praestare potest solis testibus inductis a parte actrice. Hoc legitur in Decisione XVII coram R. P. D. Caiazzo, congruis datis rationibus (pp. 150-151 n. 12).

Eamdem libertatem sibi judices vindicant in aestimandis testibus juxta personas, potissimum ex modo quo se gerunt in judicio. Itaque, Decisio LXXXV graviter arguit testem sacerdotem, coactum revocare primum a se datum testimonium, qui insuper sese ostenderat imprudentem in loquendo de causa in publica schola et nimis aversum in causam ipsam (p. 933, V°).

Nec denique desunt animadversiones circa principia generalia de vi probationis testimonialis. Ita, quod testes deponere debent de rebus visis et auditis, non de suis conclusionibus: « Testes autem nihil de re audiverunt ante matrimonium, et quoad intentionem viri potius quam facta proprias adducunt conclusiones, ideoque nihil probant » (Dec. XXV coram R. P. D. Heard, p. 243 n. 4).

Quod *peritias*, licet non novas juvat referre animadversiones Decisionis XLV coram R. P. D. Quattrocolo, quae lucide cogunt omne quod in themate hujus probationis sentit Rotalis Iurisprudentia, accuratis rationibus allatis: « Judices non coguntur peritorum sequi sententiam,
« quamvis concordem, sive attento canone § 1, sive pretio insuper ha-
« bitis Regulis in N. S. Tribunali servandis, in quibus decernitur:
« Judices non tenentur conformare suum judicium opinioni peritorum
« contra propriam persuasionem' (§ 136). Et ratio est quia peritus ex
« suo officio non est judicis loco, et quia judices omnia omnino acta
« causae perpendere debent, easque conclusiones admittere et sequi,
« quae ex actis et probatis, seu ex depositionibus testium, ex instru-
« mentis ceterisque omnibus in discussione allatis eruuntur tamquam
« sufficienter probatae; dum ex adverso peritorum sententia, etsi con-
« cors, non est probatio legalis.

« Periti insuper a peritis sedulo sunt distinguendi. Sunt etenim
« periti, qui infirmum antea curarunt aut inspexerunt, quique morbi
« initium et progressum perspectum habuerunt. Porro hujus speciei
« periti uti testes dumtaxat audiri debent (can. 1982), praesumuntur
« enim sive proni ad eamdem proferendam sententiam quam privatim
« prius dederunt, sive bene affecti erga personam inspectam. Sunt in-
« super alii periti, qui infirmum neque umquam viderunt, neque id-
« circo ipsius morbum cognoscere potuerunt, sed ex opportunitate ab

« ipsamet parte vocati propriam sententiam exararunt ex didicitis ab « aegroto et ab ejusdem familiaribus, vel etiam ex actis in judicio ge- « stis. Ne hisce profecto peritis congruere potest pernotum adagium, « quod peritis in arte medica fides est adhibenda, quippe a studio par- « tis immunes plerumque esse nequeunt, utpote de dependentia vel de « speciali inclinatione et affectione erga partem suspecti. Peritis e con- « tra, qui ad quoddam examen explendum a judice ex officio eliguntur, « vere convenit praefatum adagium, cum ab auctoritate competentis « magistratus haud inconsulte idonei habiti fuerint; unde praesumptive « tenendum est sive congruam scientiam eosdem callere, sive probitate « eosdem esse praestantes, licet utraque qualitas non articuletur in « actis. Eorumdem propterea declarationibus et attestationibus defe- « rendum est... » (pp. 437-438 n. 9).

Interdum peritiae ad declarandam viri impotentiam non sunt necessariae, uti evenit in casu deciso a Sententia LXII coram R. P. D. Wynen, quae statuit: « Aliquando ex solis depositionibus talium « testium (i. e. vulgarium), fide dignorum, certitudo moralis oriri po- « test de statu impotentiae alicuius viri qui renuit se sistere perito « judiciali. Infantilismum sane vel defectum evidentem alicujus mem- « bri genitalis unusquisque homo cognoscere potest, quin adhuc indi- « geamus peritia, quippe quae 'ex adjunctis inutilis evidenter appareat' « (cfr. can. 1976). Id eo magis tenendum est, si habetur insuper decla- « ratio alicujus medici, qui virum, esto ante nuptias, inspexit » (p. 665 n. 3).

Quandoque igitur etiam peritus extrajudicialis non parvi penditur a judice. Fides ei adhibenda iisdem rationibus nititur ac quas judex adhibet in aestimanda testium credibilitate. Itaque, in eadem Decisione legimus de perito extrajudiciali: « Qui medicus fide omnino dignus est, sicuti deducitur ex testimonio religiositatis et honestatis in actis de eo exstante. Ejus credibilitas augetur circumstantia, quod, contra interesse actricis et contra declarationem medici P., sincere fassus est se mulierem invenisse defloratam » (p. 670-n. 12).

De *praesumptionibus hominis*, satis sit adnotare Decisiones magnopere eis inniti, quin tamen vim legalem eis restituere praetendant. Ita, omnes praesumptiones relate ad omnia causae adjuncta aestimantur, etiam receptissimae a Jurisprudentia, sicut ex. gr. aversio in causis metus. Nam legitur in Decisione LXIX coram R. P. D. Jullien: « Probata aversione gravi, gravi coactione eam superatam esse praesumitur, sed praesumptio haec, hominis quidem, non sufficit ad declarandam matrimonii nullitatem, nisi argumentis certis confirmetur; nam aversio et coactio non necessaria cognatione inter se continentur, cum aliud sit non libenter contrahere, aliud coacte. Nupturiens enim potest matrimonium sibi invisum inire etsi aegre, sponte tamen, quia non subeundo alienae voluntati, dominus est consilii sui atque repugnantiam evincit motus causis a coactione plane diversis, ut sunt, v. g.: affectus et fides in genitores instantes, quorum ipse, ne eis displiceat,

vult morem gerere sponte; propter qualitates alterius partis et utilitates sibi suisve obventuras. Proinde aversio, ab intrinseco superata, sine injuria cedit » (p. 736 n. 2).

RICHARDUS ROMANO,
Advocatus Rotalis
de Collegio Procuratorum SS. PP. AA.

DINUS SAFFA - S. R. Rotae auditor - Studii rotalis moderator - *De conditione contra matrimonii substantiam.* Romae 1952 (apud custodiam librariam Pont. Inst. utriusque iuris - P. S. Giovanni in Laterano N. 4).

Clarissimus auctor in studio cui nomen « De actu positivo voluntatis contra matrimonii substantiam » in nostro periodico edito (anno LXXIV n. I pag. 164 et ss.) iam complura tradiderat principia, quae ad solvendas quaestiones, ex can. 1086 par. 2 scatentes, perbene et aptissime dirigebantur. Nunc, vero, in novissimo suo opere, strenuus Vir, principia illa ita complet et perficit, ut iam habeantur systematica interpetratio et plena concordantia can. 1086 par. 2 et 1092 C. I. C. quae, vero, utique in traditione canonicae doctrinae et S. R. Rotae prudentiae apprime fundantur at digestae et elaboratae sunt eam per synthesim, quae *quid novi* et insimul *probandi* revera in subiecta induant materia.

Substantia primae sermonis partis in hoc consistit: « Consensus limitari non potest nisi quatenus voluntas consensum suum suspendat aut intra certos terminos concludat: voluntas autem quae consensum suspendit aut limitat proprie dicitur conditionata » (p. 8 n. 3).

Quare « limitatio consensus idem est ac conditio; limitatio iuris idem est ac limitatio consensus ideoque idem ac conditio; conditio idem est ac limitatio consensus et iuris » (p. 15 n. 5).

Unde fit ut *sensu iuris* omnes simulationes matrimonialis consensus, quae sive in can. 1086 par. 2 sive in can. 1092 continentur, ad *nomen conditionis* reducantur; actus positivus voluntatis contra matrimonii substantiam merito vocatur *conditio mente retenta* seu, quod idem est, « deducere aliquam conditionem in pactum matrimonialem nihil aliud significat quem facere talem conditionem partem constitutivam contractus matrimonialis » (p. 11-12 not. 12). Actus, ergo, positivus voluntatis tunc consensum vitiat, si ita consensum ipsum limitat ut eiusdem fiat conditio.

Nunc vero omnibus matrimonialis consensus simulationibus *ad nomen iuris* conditionis merito reductis, pressius inquirendum erat de *formis* seu de *modis* quibus consensus ille limitari potest: quae tria sunt: actus positivus voluntatis — seu conditio mente retenta — conditio exterius manifestata, pactum formale (p. 15-16 n. 6). Cum ratio, propter quam actus positivus voluntatis — quacumque forma acceptus, (p. 20 n. 7) — matrimonium vitiat, una sit, seu defectus totalis vel limitatio consensus, in conditione exterius manifestata consensus non prestatur nisi ex toto vel ex parte excluditur ipsius matrimonii essentia (p. 21 n. 8).

Pactum formale, quod pendet a contrahentium *in idem placito*, non est proprie modus *per se stans* nisi sub illa pacti seu *bilateralis* placiti ratione, at proprie reducitur sive ad actum positivum voluntatis (seu: *conditionem mente retentam*) sive ad conditionem exterius manifestatam; quod enim vitiat consensum et matrimonium non est proprie *pactum*, sed utriusque vel alterutrius coniugis limitatio consensus sive per conditionem mente retentam sive per conditionem exterius manifestatam (p. 23 n. 9).

Cum actus positivus voluntatis (can. 1086 par. 2) et conditio exterius manifestata (can. 1092 n. 2) quoad substantiam non differant, quia *sensu iuris* ambo sunt consensus verae conditiones, differunt tamen quoad formam, quoad obiectum immediatum, quoad probationem (p. 24 n. II). Quae vero distinctiones fusius traduntur et elaborantur in sequentibus n. 16 et 17.

Ita intellectus, actus positivus voluntatis — sicut et conditio — per se non illam patiuntur distinctionem inter exculsionem iuris et exclusionem usus, quae postrema matrimonii nullitatem non portendit. Conditio enim — sive mente retenta sive exterius manifestata — si forte vera conditio, seu vera consensus limitatio, semper parit iuris exclusionem ideoque matrimonii nullitatem (n. 13 et 14): si exclusio prolis et fidei simplicem eorundem bonorum usum secumferat, iam non habetur vera consensus conditio seu limitatio.

Notatu dignissima doctrina sub n. 13 (p. 31) tradita, qua repellitur distinctio ius inter et usum iuris in ordine ad veram conditionem seu limitationem matrimonialis consensus: distingui, enim, nequit in re matrimoniali ius seu dominium radicale et ius utile seu expeditum (sicut dominium rei et eiusdem locatio conductio); nam in matrimonio coniux non tradit alteri parti dominium sui corporis, sed ius exclusivum et perpetuum utendi corporis sui *tantum* in ordine ad actus coniugales: « sicut ergo dari non potest ius ad usum rei absque iure utendi ea re, « ita tradi non potest ius ad usum corporis in ordine ad actus coniuga- « les absque iure utendi corpore ipso in ordine ad eosdem actus; condi- « tione vero excludendi hos actus seu usum iuris ad hos actus, tollitur « consensus ideoque ius ad hos actus; consequenter qui matrimonium « contrahit sub conditione excludendi usum iuris ad actus coniugales, « tradit ius ad usum absque iure utendi, id est ius absque iure ad idem, « quod contradictorium est ». (p. 31).

Ex laudatis theoricis praesuppositis cl. Auctor ad applicationes progreditur positivas: « perrare » Ille censet « posse probari directe et immediate actum positivum quo excludatur ius ad prolem vel ad fidem » (p. 35 n. 16), et quod coeterum iam pluries in rotali prudentia decretum est « actum voluntatis quo usus tantum iuris etiam in perpetuum excluditur matrimonium non vitiari » (p. 42 n. 23), merito tenet.

« Nisi nupturiens de iure vel obligatione excludenda cogitaverit « eamdemque exclusionem expresserit, rectius inquiritur directe et im- « mediate utrum consensus defuerit, id est utrum sub conditione con- « sensus praestitus fuerit, potius quam investigare, saltem directe et « immediate, utrum ius an usus tantum fuerit exclusus. Finis enim

« huius inquisitionis et probationis est certitudo de intentione nuptu-
« rientis; si vero iste de iure et obligatione non cogitavit, neque distin-
« ctionem inter ius et usum advertit; e contra eum latere non potuit
« consensus ab eo praestitus vel minus. Quoties ergo de expressa
« exclusione matrimonii vel iuris non agatur, recte applicantur cri-
teria quae adhibentur pro conditionis probatione.

Ex altera autem parte, aequo animo pensata, vexata quaestio proponitur et solvitur de voluntate excludendi usum in perpetuum vel etiam ad tempus (etiamsi graviori causa quam illa contrahendi matrimonium fundata) num revera semper absolute habenda sit prout incapax matrimonium irritandi. Auctor vero, mordicus res perpendens, putat praevalentem causam excludendi, sive ad tempus sive in perpetuum, usum, si invincibili tenacia comprobetur, limitationem consensus ideoque matrimonii nullitatem portendere, ut ita concludat (p. 47 n. 26):
« Quia praesumptio in praevalenti causa fundata confirmanda est in-
« vincibili tenacia, et pervicacia insuperabilis est confirmatio vel reve-
« latio causae praevalentis, praesumptio generalis in favorem nullitatis
« matrimonii una est: illa nempe quae desumitur ex causa praevalenti,
« propter quam contrahens ante nuptias invincibili proposito, post
« nuptias vero tenacia insuperabili, denegat usum. Haec autem invin-
« cibilis firmitas probatur praesertim gravissimis discidiis, quibus non
« obstantibus coniux usum recusavit, et adhuc clarius vitae communis
« dissolutione, quam coniux praetulit obligationis suae satisfactioni ».
(p. 47).

Putamus, ergo, hunc optimum studium revera ad systematicam doctrinam intelligendam, actus et conditionis contra matrimonii substantiam, aptissima afferre media; et insimul, (etiam attenta doctrinae et iurisprudentiae copia in notis adducta) non parum prodesse Tribunalium Ecclesiasticorum praxi. Quare non solum iuris canonici merae theoriae cultoribus sed iudicibus et advocatis tractatus iste valde commendatur.

C. Bernardini

S C. DEI RELIGIOSI, *Atti e Documenti del Primo Convegno Internazionale delle Religiose Educatrici* (Roma, settembre 1951), Ed. Paoline, Roma, 1952.

Typis benemeritae Societatis S. Pauli Ap., quae vere arduum opus Acta Congressuum cursuumque ad accommodatam statuum perfectionis renovationem vel habitorum vel habendorum edendi laudabiliter adgressa est, prodiit praesens volumen, ex serie primum, quod tercentis quadraginta sex paginis Acta et Documenta refert Primi Congressus Internationalis Religiosarum Educatricium (cfr. *Monitor Ecclesiasticus*, 1952, pp. 162-169), cuique, ad modum Appendicis, accedunt Statutum Foederationis Italicae Religiosarum Educatricium (F.I.R.E.), relatio activitatis Foederationum Religiosarum mulierum in Italia (nempe F.I.R.E., F.I.R.O., F.I.D.A.E.) et notula circa ephemerides periodicas A.L.A. Com-

pletur volumen in suis tercentis sexagintaduabus paginis generali Indice libri atque elencho operum seu librorum ad formationem et culturam Religiosarum perutilium.

Congressus Sessiones in aula Instituti Adsumptionis (Viale Romania), Praeside Em.no Card. Iosepho Pizzardo, habitae sunt Romae, a die 4 ad diem 14 sept. 1951, atque, practice, conclusae sunt in sollemni Audientia diei 13 sept. ad Castrum Gandulphum, in qua Summus Pontifex Pius XII paterne et efficaciter repraesentantes 35 diversorum Institutorum alloqui dignatus est (cfr. *Mon. Eccl.*, 1951, pp. 565-573). Prolusio sollemnis ab Exc.mo S. Congregationis de Religiosis Secretario habita est, in qua Congressus fines expositi breviter sunt: « un rinnovamento profondo della vita religiosa, e un pieno, efficace aggiornamento dell'apostolato ».

Deinde volumen refert 24 Relationes, integre vel summatim, in quibus nescio an perspicuitas atque ingenium Relatorum aut opportunitas atque convenientia relationum sit magis laudanda. Personae quidem ex utroque clero atque laici probatae vitae, doctrina et longa experientia eminentes, ardua problemata sive formationis sive apostolatus Sororis educatricis scientifica sed captu facili methodo adgressae sunt, magno cum spirituali et intellectuali delectu audientium atque legentium. Sequuntur Congressus affirmationes, decisiones et vota.

Certe nonnullorum problematum solutio adhuc profundiore studio et elaboratione indiget. Sed operis pretium est has quaestiones tandem aliquando Congressum agitasse, ut mentes doctorum ad quaerendas atque proponendas suas solutiones alliciantur.

Habes proinde, humane lector, in unum eleganter collectas magni momenti in praesentiarum quaestiones quae pro solutione pulsant; habes notitias, habes elementa ad theorias de christiana puellarum educatione deque Sororum educatricium solidiore religiosa et apostolica efformatione adstruendas. Non solum igitur religiosis foeminis necessarium putamus volumen, sed et omnibus sive ecclesiasticis sive laicis viris qui problematibus educativis angustiantur.

AUGUSTINUS PUGLIESE

SACRA CONGREGATIO DE RELIGIOSIS. - Series « Congressus et cursus specialis ». *ACTA ET DOCUMENTA Congressus Generalis de Statibus perfectionis* (Romae, 1950), I, Romae, Editiones Paulinae, 1952.

Hoc quod ob oculos prostat volumine, ex serie I, Acta et Documenta Congressus Generalis Statuum perfectionis, in Urbe Anno Sancto 1950 (26 nov. - 8 dec.) celebrati (cfr. *Mon. Eccl.*, 1951, pag. 120 ss.), digesta, ex parte continentur. Sequentur brevi volumina coetera, quae Acta omnia, post non paucas neque leves, in tam ampla Scriptorum segete colligenda, expolienda atque ordinanda, difficultates feliciter superatas, lectoribus praebebunt.

Fortunata sane novitas fuit in universa Ecclesiae historia celebratio illius Congressus, qui Romae undique, ex universo Orbe, simul coadunatos in fraterna caritate vidit repraesentates fere omnium virorum

Religionum, Societatum in communi viventium sine votis publicis atque Institutorum Saecularium iuris pontificii, quique ad pedes Romani Pontificis, divina illa Sanctissimi oratione diei 8 dec. 1950 (cfr. *Mon. Eccl.*, 1951, pag. 541 ss.), absolutus feliciter fiut.

Tripartitum Congressus schema renovationem asceticam et disciplinarem, renovationem institutionis et educationis religiosae, clericalis et apostolicae, ac denique ministeriorum renovationem simul complectebatur. Singulae autem Sessiones, ex diversa rerum exponendarum ratione, per Relationes, Communicationes et Argumenta, quibus singulis fere semper brevis habebatur discussio, ordinatae sunt.

Sed huius Congressus characteristicum fuit quod singulis Relationibus, Communicationibus, Argumentis in Sessionibus perlectis numerosa habita sunt scripta, eamdem materiam tractantia, a Scriptoribus clarae famae atque in re magistris, sive Exc.mis Episcopis, sive ex clero dioecesano, sive religiosis, sive laicis spectatae vitae, composita, quos S. Congregatio opportune ad proprias opiniones et experientias exponendas invitaverat. Hinc est quod praesens volumen, quod materiam complectitur primis duobus diebus Congressus (27-28 nov.) pertractatam, 80 continet scripta aut in Congressu perlecta aut S. Congregationi missa. Quodlibet autem diversos adspectus generalium problematum illustrant et experientia complent, quoad accommodatam renovationem Statuum perfectionis in suis elementis essentialibus et communibus et in suis elementis specificis.

Longe lateque disserunt Oratores et Scriptores de perfectionis statu eiusque essentia, de necessitate accommodatae praesentibus temporibus Religiosorum renovationis, deque modo procedendi in hac renovatione obtinenda, sive quoad vitam interiorem sive quoad externam vivendi formam; quoad fundamenta ascetico-theologica et quoad virtutes quibus status perfectionis fulcitur; quoad constitutionem, regimen et disciplinam; quoad vota, praesertim quoad paupertatem sive simplicem sive sollemnem, et quoad rerum temporalium administrationem; tum in vita activa, tum in vita contemplativa.

Quaelibet Familia religiosa, praeter finem generalem qui omnium communis est et ad Deum atque ad sanctificationem propriam per se tendit, finem suum specificum habet, qui illam determinatam Familiam a coeteris aliis opportune distinguit et in propria uniuscuiusque Familiae organizatione, regimine, disciplina influit. Alius enim est finis specificus Monachorum, alius Congregationistarum. Inde adspectus historici originum diversarum Familiarum religiosarum in Ecclesia, Divina Providentia duce singulis temporibus aptum salvationis animarum instrumentum suscitante. Inde necessitas renovationis atque unificationis legislationis ecclesiasticae communis circa status perfectionis, iurisque particularis eiusque comparationis. Inde necessitas cuiusdam adaptationis singularum Familiarum, quibus praesentibus contingit vivere temporibus, ut in actuali societate fermentum esse possint novae creaturae simul et prospere sanctificationem suorum membrorum adipisci aliosque salvos facere.

Huic Primo Actorum volumini plura satisque momentosa documenta

praemittuntur, quae ad totius Congressus praeparationem, ordinationem et inaugurationem spectant. Luculentissima praecedit Praefatio Exc.mi P. Larraona, C. M. F., S. Congregationis de Religiosis Secretarii atque Congressus inspiratoris genialis, ordinatoris sapientis, animatoris insuperabilis. Sequuntur undique collecta pontificia documenta, in quibus mens, criteria, consilia, incitamenta prostant Romani Pontificis Pii XII. Post haec, documenta veniunt immediatae praeparationis atque inaugurationis Congressus. Clauditur volumen, quod fere 700 paginis constat, Indice Generali contentorum.

Plura sane problemata in arduo hoc opere renovationis et adaptationis religiosarum Familiarum pulsant, solutionem expostulantia. Qua re, hoc praecipue propositum fuit Congressus, ut scil. varia argumenta ita apte illustrarentur, ut inde renovationis et adaptationis via organis competentibus, sive S. Congregationi sive internis in unaquaque Familia, pateret. Et fructus proficui huius ferventis operis iam habentur aut in praeparatione sunt apud S. Congregationem, cui tota incumbit cura atque sollicitudo super diversas Familias vice sacra invigilandi.

Laudenda prorsus est Pia Societas S. Pauli Ap., cuius Sodalium cura et labore volumen prodiit proximaque edentur, ob speciale studium quo editio voluminis diligenter curata est, sive quoad selectionem chartarum atque typorum sive quoad correctionem refusorum.

AUGUSTINUS PUGLIESE

DOCUMENTA
ET
CHRONICA

DOCUMENTA

IL SOMMO PONTEFICE ALLE CONGRESSISTE DELLA « FÉDÉRATION MONDIALE DES JEUNESSES FÉMININES CATHOLIQUES ».

INSEGNAMENTI ED ESORTAZIONI SUL CONCETTO DELLA LEGGE MORALE.

Le thème du Congrès

Soyez les bienvenues, chères filles de la Fédération Mondiale des Jeunesses Féminines Catholiques. Nous vous saluons avec le même plaisir, la même affection, avec lesquelles il y a cinq ans Nous vous avons re ues à Castel-Gandolfo à l'occasion de la grande rencontre internationale des Femmes Catholiques.

Les impulsions et les conseils de sagesse que vous a donnés ce Congrès, comme les paroles que Nous vous avons alors adressées (*Discorsi e Radiomessaggi*, IX, pag. 221-233), ne sont vraiment pas restés sans fruit. Nous savons combien, dans cet intervalle votre effort s'est tandu, pour réaliser les buts précis, dont vous aviez la claire vision. C'est ce que Nous prouve aussi le mémoire imprimé que vous Nous avez remis lors de la préparation du Congrès d'aujourd'hui : « *La Foi des Jeunes - Problème de notre temps* ». Ses 32 pages ont le poids d'un gros volume, et Nous en avons pris connaissance avec grande attention, car il résume et synthétise les enseignements d'enquêtes nombreuses et varietées sur l'état de la Foi dans la jeunesse catholique d'Europe, et le résultat en est extrêmement instructif.

Toute une série de questions qui y sont touchées, Nous les avons Nousmême traitées dans notre Allocution du 11 septembre 1947, à luquelle vous assistiez, et dans beaucoup d'autres Allocutions auparavant et depuis. Aujourd'hui Nous voudrions prendre occasion de cette réunion avec vous, pour dire ce que Nous pensons de certain phénomène qui se manifeste un peu partout, dans la vie de foi des catholiques, qui atteient un peu tout le monde, mais particulièrement la jeunesse et ses éducateurs, et dont votre mémoire aussi rapporte en divers endroits les traces, ainsi quand vous dites (*pag. 10*) : « Confondant le christianisme avec un code de préceptes et d'interdictions, les Jeunes ont le sentiment d'étouffer dans ce climat de « morale impérative » et ce n'est pas une infime minorité, qui jette par dessus bord " le bagage gênant " ».

Une nouvelle conception de la loi morale.

Nous pourrions nommer ce phénomène « une nouvelle conception de la vie morale », puisqu'il s'agit d'une tendance qui se manifeste dane le domaine de la moralité. Or c'est sur les vérités de foi, que se basent les principes de la moralité; et vous savez bien de quelle importance fondamentale il est pour la conservation et le développement de

la foi, que la conscience du jeune homme et de la jeune fille soit très tôt formée et se développe selon des normes morales justes et saines. Ainsi la « nouvelle conception de la moralité chrétienne » touche-t-elle très directement au Problème de la foi des Jeunes.

Nous avons déjà parlé de la « nouvelle morale » dans Notre Message Radiodiffusé du 23 mars dernier aux Educateurs Chrétiens. Ce que Nous disons aujourd'hui n'est pas seulement une continuation de ce que Nous avons traité alors; Nous voulons dévoiler les sources profondes de cette conception. On pourrait qualifier celle-ci d' « existentialisme éthique », d' « actualisme éthique », d' « individualisme etnique », entendas au sens restrictif que Nous allons dire, et tels qu'on les trouve dans ce qu'on a appel: ailleurs « *Situationsethik* - morale de situation ».

La « morale de situation ». - Son signe distinctif.

Le signe distinctif de cette morale est qu'elle ne se base point en effet sur les lois morales universelles, comme par exemple les Dix Commandements, mais sur les conditions ou circonstances réelles et concrètes dans lesquelles on doit agir, et selon lesquelles la conscience individuelle à juger et à choisir. Cet état de choses est unique et vaut une seule fois pour toute action humaine. C'est pourquoi la décision de la conscience, affirment les tenants de cette éthique, ne peut être commandée par les idées, les principes et les lois universelles.

La foi chrétienne base ses exigences morales sur la connaissance des vérités *essentielles* et de leurs relations; ainsi fait S. Paul dans l'Epître aux Romains (*1, 19-21*) pour la religion comme telle, soit chrétienne, soit antérieure au christianisme: à partir de la création, dit l'Apôtre, l'homme entrevoit et saisit en quelque sorte le Créateur, sa puissance éternelle et sa divinité, et cela avec une telle évidence qu'il se sait et se sent obligé a reconnaître Dieu et à lui rendre un culte, de sorte que négliger ce culte ou le pervertir dans l'idolâtrie est gravement coupable, pour tous et dans tous les temps.

Ce n'est point ce que dit l'éthique dont Nous parlons. Elle ne nie pas, sans plus, les concepts et les principes moraux généraux (bien que parfois elle s'approche fort d'une semblable négation), mais elle les déplace du centre vers l'extrême périphérie. Il peut arriver que souvent la décision de la conscience leur corresponde. Mais ils ne sont pas, pour ainsi dire, une collection de prémisses, desquelles la conscience tire les conséquences logiques dans le cas particulier, le cas d' « une fois ». Non pas! Au centre se trouve le bieen, qu'il faut actuer ou conserver, en sa valeur réelle et individuelle; par exemple, dans le domaine de la foi, le rapport personnel qui nous lie à Dieu. Si la conscience sérieusement formée décidait que l'abandon de la foi catholique et l'adhésion à une autre confession mène plus près de Dieu, cette démarche se trouverait « justifiée », même si généralement elle est qualifiée de « défection dans la foi ». - Ou encore, dans le domaine de la moralité, le don de soi corporel et spirituel entre jeunes gens. Ici la conscience sérieusement formée déciderait qu'à raison de la sincère inclination mutuelle conviennent les privautés du corps et des sens, et celles-ci, bien qu'admis-

sibles seulement entre époux, deviendraient manifestations permises. — La conscience ouverte d'aujourd'hui déciderait ainsi, parce que de la hiérarchie des valeurs elle tire ce principe que les valeurs de personnalité, étant les plus hautes, pourraient se servir des valeurs inférieures du corps et des sens ou bien les écarter, selon que le suggère chaque situation. - On a bien avec insistance prétendu que, justement d'après ce principe, en matière de droit des époux, il faudrait, en cas de conflit, laisser à la conscience sérieuse et droite des conjoints, selon les exigences des situations concrètes, la faculté de rendre directement impossible la réalisation des valeurs biologiques, au profit des valeurs de personnalité.

Des jugements de conscience de cette nature, si contraires qu'ils semblent au premier abord aux préceptes divins, vaudraient cependant devant Dieu, parce que, dit-on, la conscience sincère sérieusement formée prime devant Dieu-même le « précepte » et la « loi ».

Une telle décision est donc « active » et « productrice », non « passive » et « réceptrice » de la décision de la loi, que Dieu a écrite dans le cœur de chacun, et moins encore de celle du Décalogue, que le doigt de Dieu a écrite sur des tables de pierre, à charge pour l'autorité humaine de le promulguer et de le conserver.

La « morale nouvelle » éminemment « individuelle ».

L'éthique nouvelle (adaptée aux circonstances), disent ses auteurs, est éminemment « individuelle ». Dans la détermination de conscience l'homme singulier se rencontre immédiatement avec Dieu et se aectae devant Lui, sans l'intervention d'aucune loi, d'aucune autorité, d'aucune communauté, d'aucun culte ou confession, en rien et en aucune manière. Ici il y a seulement le *je* de l'homme et le *Je* du Dieu personnel; non du Dieu de la loi, mais du Dieu Père, avec qui l'homme doit s'unir dans l'amour filial. Vue ainsi, la décision de conscience est donc un « risque » personnel, selon la connaissance et l'évaluation propres, en toute sincérité devant Dieu. Ces deux choses, l'intention droite et la réponse sincère, sont ce que Dieu considère; l'action ne Lui importe pas. De sorte que la réponse peut être d'échanger la foi catholique contre d'autres principes, de divorcer, d'interrompre la gestation, de refuser obéissance à l'autorité compétente dans la famille, dans l'Eglise, dans l'Etat, et ainsi de suite.

Tout cela conviendrait parfaitement à la condition de « majorité » de l'homme et, dans l'ordre chrétien, à la relation de filiation, qui, selon l'enseignement du Christ, nous fait prier « notre Père ». Cette vue personnelle épargne à l'homme de devoir à chaque instant mesurer si la décision à prendre correspond aux paragraphes de la loi ou aux canons des normes et règles abstraites; elle le préserve de l'hypocrisie d'une fidélité pharisaïque aux lois; elle le préserve tant du scrupule pathologique, que de la légèreté ou du manque de conscience, parce qu'elle fait reposer sur le chrétien personnellement l'entière responsabilité devant Dieu. Ainsi parlent ceux qui prônent la « nouvelle morale ».

ELLE EST EN DEHORS DE LA FOI ET DES PRINCIPES CATHOLIQUES.

Sous cette forme expresse l'éthique nouvelle est tellement en dehors de la foi et des principes catholiques, que même un enfant, s'il sait son catéchisme, s'en rendra compte et le sentira. Il n'est pas difficile de reconnaître comment le nouveau système moral dérive de l'existentialisme, qui ou fait abstraction de Dieu, ou simplement le nie, et en tout cas remet l'homme à soi-même. Il peut se faire que les conditions présentes aient induit à tenter de transplanter cette « morale nouvelle » sur le terrain catholique, pour rendre plus supportables aux fidèles les difficultés de la vie chrétienne. De fait, à des millions d'entre eux sont demandés aujourd'hui, en un degré extraordinaire, fermeté, patience, constance et esprit de sacrifice, s'ils veulent demeurer intègres dans leur foi, soit sous les coups de la fortune, soit dans un milieu qui met à leur portée tout ce à quoi le cœur passionné aspire, tout ce qu'il désire. Or une telle tentative ne pourra jamais réussir.

LES OBLIGATIONS FONDAMENTALES DE LA LOI MORALE.

On demandera comment la loi morale, qui est universelle, peut suffire, et même être contraignante dans un cas singulier, lequel en sa situation concrète est toujours unique et d' « une fois ». Elle le peut et elle le fait, parce que justement à cause de son universalité la loi morale comprend nécessairement et « intentionnellement » tous les cas particuliers, dans lesquels ses concepts se vérifient. Et dans des cas très nombreux elle le fait avec une logique si concluante, que même la conscience du simple fidèle voit immédiatement et avec pleine certitude la décision à prendre.

